

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Iulianu Autokratoros Ta Sōzomena, Kai Tu En Agiois Kyrillu Archiepiskopu Alexandreias Pros Ta Tu En Atheois Iulianu Logoi Dekα

Julian <Römisches Reich, Kaiser>

Lipsiae, Anno MDCXCVI.

Vorwort

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1694](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1694)



## P R A E F A T I O.

**Q**uæ hic denuo in lucem exeunt, eaque nunc primum coniunctim edita, Augusti Scriptoris, grauisimique Antistitis aduersus eundem, opera, haud dubito quin eruditis hominibus grata futura sint & accepta. Adeo ut neutiquam hic mihi in limine laborandum putem, quo speciosas illius instituti rationes exquisite aut etiam ambitiose exponam, ac vnde litterati cœtus studium & attentionem excitare nunc intendam. Etsi enim eorum, & quidem quæ IULIANVM auctorem præferunt, operum vulgandorum consilium, non meo primum nutu, uti ea de re paullo post dicetur opportunius, fuerit susceptum: haud eo minus, ubi ea de re sum conuentus, illud continuo comprobauit, ut eam quoque, quæ a me ad illud accurandum ornandumue flagitabatur, operam haud cunctanter addiderim. Neque enim latere me quodammodo poterat, quanta doctrinæ & elegantix copia abundarent illæ eiusdem Imperatoris lucubrationes, quarum pulcherrimam haud indiligenter a me excussam olim ac illustratam dederam. Vnde sepositis vel abiectis, quæ me aliis scriptis quibusdam meis diuulgandis tum intentum ab eo proposito dimouere cæteroquin poterant, curis, in eas, quæ ad operis illius rationes facerent, mihi pro re nata incumbendum credidi. Quod dum semel sum adgressus, de IULIANO ipso, seu de iis, quæ vel is olim, sed pridem abolita vel adhuc abdita, condidit; vel quæ ad nostram vsque ætatem propagata sunt, & hoc opere continentur, illius ingenii, doctrinæ, & facundix monumentis: tum de prioribus eorundem hoc & superiori seculo editoribus: deque noua hac, & quæ CYRILLI quoque aduersus illum libros exhibet, editione, nonnulla erunt pro more, nec inutili utique aut Lectori ingrata, ut opinor, disquisitione delibanda.

Et IULIANVM quidem quod adinet, nemo iam id a me hic exigit vel exspectat, ut de eius genere, natalibus, patria, parentibus referam: aut quibus studiis fuerit a teneris deditus: quando Christianæ religionis ac pietatis desertor exstiterit: quibus eluxerit virtutibus, aut vitiis fuerit deformatus: quid ab illo, in utroque vel Cæsaris vel Augusti fastigio, sit bello aut pace gestum: quis denique fuerit vitæ exitus, commemorare nunc instituiam. Præterquam enim, quod hæc partim sint ab hoc loco aliena ac supernacanea, partim iam in vulgus nota, ac in reliquis illius æui monumentis obuia; exstant ad calcem huius operis, nonnullis eiusdem IULIANI opusculis præmissæ olim a viris eruditis ac disertis Præfationes, quæ harum rerum narratione defunguntur. Quamquam quoad ea, quæ ad ingenii vim aut cultum, vel ad doctrinæ aut

P R A E F A T I O.

facundia in IVLIANO lumen spectant, quaedam in commemoratione operum ab eo editorum paucis adtingenda nobis venient.

Illud equidem non magis aliorum, & qui IVLIANO coævi fuerunt, Auctorum fide, quam ex iisdem monumentis constat: eum a teneris animum ad capeffendas præclaras artes ac doctrinas haud mediocriter incensum, studiumque præterea haud vulgare, sed perucax ac intentum contulisse. Inciderat autem in ea tempora, quibus duo maxime florebant doctorum genera: vnum eorum, qui oratoriam seu declamandi artem professi, Sophistæ pridem dici consueverant; alterum illorum, qui Philosophicas disciplinas, easque ferme a vulgi notitia retrusas, excolentes, inde nomen sibi & sectatores, ambitiose vt plurimum, aucupabantur. Et quamquam Christiana pietas ac Religio, e latebris velut educta, iam caput cœpisset efferre; eaque regali etiam seu Imperatoriae, vt eo æuo loquebantur, purpuræ nouum siue diuinius adtulisset lumen; Gentiles tamen numero longe adhuc præualebant, maxime qui liberalium illarum artium ac scientiarum ludos in celeberrimis Romani orbis ciuitatibus aperuerant, aut in iis cæteroquin disciplinis, cæteris earum magistris præstare illa ætate credebantur. Adeo vt his doctoribus vel ducibus, Nicocle nempe, Ecebolio, Libanio, Iamblichio, Maximo Ephesio, & si Suidæ fides habeatur, altero Maximo Epirota seu Byzantio, Chrysanthio præterea, Prisco, summis illa ætate Grammaticis, Oratoribus, vel Philosophis, vsus in primo pueritiæ ac adolescentiæ decursu IVLIANVS, mirificam inde sibi cum in dicendi arte, tum in Philolophiæ cognitione facultatem comparaverit, cui dein consummatum velut fastigium adtulit eiusdem Athenas iter. Ibi enim tanquam in florenti adhuc vtriusque illius disciplinæ, quas vrbs illa quondam extulerat, emporio, eo intentiore studio summaque alacritate in easdem incubuit; veterisque ibi vel Lycei, vel Academiae, vel Porticus duces ac heroas; vel, qui pro concione quondam aut in iudiciis regnabant, Oratores versandos sibi diligenter ac imitandos proposuit. Accesserat insuper a primis pueritiæ annis, data Grammaticis, vt memorato paullo ante, & de quo postea adhuc dicitur, Nicocli ab eodem opera; ac inde in antiquis Historicorum ac Poëtarum, Græcorum maxime, monumentis, nocturna diurnaque manu tractandis, contentio quaedam & assiduitas incredibilis, & vt de eo tradit alicubi Eunapius, præcox eruditio, quidquid librorum proferebatur, memoria complectens.

Ita excitatum illud ac discendi avidum, quod a natura nactus fuerat, ingenium, omnibus, quibus animus erudiri potest & excoli, disciplinis egregie perpolitum & subactum, ad imperium adtulit IVLIANVS: & quod adhuc maius est ac præstantius, mentem insuper cupiditatibus illis, quibus adolescentum animi, maxime illius ordinis ac loci, emolliuntur, aut a vero laudis cursu abducuntur, nullatenus infractam, sed iisdem liberam plane ac inuictam. Quibus vtrique excelsis, ac in iuuentutis Principe, & imperatoriae stirpis propagine, inuilitatis animi, ingenii, ac virtutis, admirabilis puta temperantiæ, continentiae, vigilantiae, diuitiarum cultusque corporis iusto mundioris contemptus, dotibus; vt de fortitudine iam eius, quam in rebus a se contra Germanos & Persas gestis, in oppugnandis vrbibus, in ordinanda acie, & manu cum bellicosissimis hostibus dimicando, luculenter postea comprobauit, nihil dicam; quibus, inquam, viam is sibi ad summum non huma-

in Maximo  
vid. Eunap.  
in Maximo pag.  
91.

vid. Orat.  
III p. 119.

in Maximo p. 85.

P R A E F A T I O.

næ solum potentiae, sed laudis gloriaeque fastigium strauerat. Verum a quo felici auspiciatoque laudum curriculo, alia enim longe abduxerunt: præcepta nempe ingenium; inquietus animus; restata in incessu, sermone, obtutu leuitas; cupido laudis immodicæ; vanissima insuper abdita quæque, etsi nefaria, perscrutandi libido; ac nata inde paulatim a pietate, a religione, cui innutritus fuerat, abalienatio primum, tum clandestina, mox aperta desertio; & quæ subsequi vulgo eadem solent, acerrimum illinc odium, ac immanis tandem insectatio. Hinc dæmonum illorum seu idolorum, quæ ex orco de nouo ac erebo, in quem deturbari felicibus auspiciis cœperant, excitare induxit, superstitiosus, ut ea de re ipsi Gentiles, summique ejus laudatores, loquuntur, ad insaniam cultus. Ita non tam decessorum suorum, qui haud multis ante annis regnauerant, exemplo, districta ab eo in Christianos sica; quam nefariis artibus, ignotisque antea & exitiosis bonæ menti Edictis, eorum disciplinæ, institutioni, pietati insidiari voluit: adde, ni ipsemet manu insuper ac stylo, eorum Religionem tentaret confodere, sanctissimis præceptis illuderet, veritati, cui litauerat, cui sacramentum dixerat, cuius seu sacrorum, quibus eadem est consignata, librorum fuerat haud ita dudum publicus in stans piorum conuentibus anagnostes, (opportune enim hanc vocem iam Latio donauerat Tullius) inexpiabile bellum indiceret. Adeo, ut in quem illius ordinis ac fortunæ Principem, vel a natura, vel ab institutione, vel ab ingenio, vel a doctrina, vel a facundia & ab exercitatione, plura animi, virtutis, fortunæque bona: aut, a præpostero vesanoque eorundem usu, singulari quodam supremi Numinis iudicio, mala confluerint, reperias utique neminem.

Si enim ad elucubrata a IULIANO opera nos conuertamus, eorum subinde occurrit præclara apud Auctores illius & sequentis æui, ac inferioris etiam ætatis, mentio. *Orationes* quidem ante & post imperium ab eo scriptas, & quo nomine *πατέρα πολλῶν λόγων*, *multarum Orationum patrem*, eundem vocat, tradit alicubi Libanius: alibi, *Orationes* ab eo conditas, antequam solus imperium obtineret; quarum in genere alio rursus loco, tanquam quæ singulari arte forent elaboratæ; uti & *Epistolarum*, quæ *Orationes* adhuc illas vincerent, singulari cum laude idem Sophista, eiusque in arte dicendi magister, meminit. Ipse vero in eadem funebri huius Augusti laudatione, nominatim duas tangit eius orationes, quasque ille vna nocte singulas conscripserit: vnam nempe contra adulterinum Cynici Antisthenis seu Diogenis, ut de eadem paullo ante, imitatore, cuique Orationi contexendæ horas bidui subcisiuas se impendisse testatur sub eius finem IULIANVS; alteram, in laudem Matris Deum: quæque duæ etiamnum huic operi leguntur insertæ, & quas inter Imperatoris huius scripta retulit itidem Suidas. Meminit vero ipse IULIANVS *Orationum*, quas a se iussu Imperatoris, nempe Constantii, in nobilem freti coniunctionem elaboratas, ad Iamblichum mittit; quæ hodie inter eius opera non comparent: uti nec illa *Oratio acris & inuectiua*, quam probra in Constantium, vbi nempe ab eo descuerat, explanantem & vitia, ad Senatum Constantinopolitanum misisse eundem tradit Ammianus Marcellinus. Conscripsum vero ab eodem IULIANO earum rerum, quas contra Germanos per annos aliquot, summa virtute ac felicitate gessit, & in ipso quidem earundem actu, sed qui iniuria temporum periit, commentari-

vid. Ammian. Marcell. Lib. XVII. cap. X & Lib. XXV. cap. V. Aur. Viator in Epist. tome.

Superstitiosus magis quam sacrorum legitimum observator. Ammian. Marcell. Lib. XXV. cap. V.

de Vita sua pag. 44. Tom. II. Paneg. Jul. p. 248. Orat. Funer. Jul. p. 330. Ibid. pag. 300.

Epist. XLII. p. 421.

Lib. XXI. cap. XL.

P R A E F A T I O.

um, ex eodem præterea Libanio discimus. Nempe ubi haud opus esse ait, ut res eas contra Barbaros a se gestas coram enarret IVLIANVS, ἀλλ' ἀποχρήσει δὲναί τὴν συγγραφήν, ἢν, αὐτὸς ὁ πράξας, συνέδημας ὁ αὐτὸς γενόμενος καὶ στρατηγὸς καὶ συγγραφεὺς, sed satis superque fuerit commentarium earum rerum, quas ipse gessisti, a te conditum exhibuisse: ipse, inquam, qui & dux exercitus & scriptor exististi. In ineditis etiam eiusdem Sophistæ, quæ ultra mille & viginti exstant in eodem Codice, in quo ipsa IVLIANI opera continentur, & de quo dicendi infra erit locus, eius rei mentionem fieri aliquoties video: ut Lib. I. Epist. XXI. ad illum nempe Cæsarem adhuc in eo terrarum tractu contra Barbaros militantem, κάλλισον δὲ, ὡς ἤκρον, τὸ ἐλάυνειν τε τὰς βαρβάρους, καὶ ΤΑΣ ΝΙΚΑΣ ΕΙΣ ΣΥΓΓΡΑΦΗΝ ἀγειν καὶ τὸν αὐτὸν ὄντως ῥήτορά τε εἶναι καὶ στρατηγόν. Ἀχιλλεὶ μὲν γὰρ Ὀμήρου ἔδει, καὶ Ἀλεξάνδρῳ πολλῶν συγγραφήντων τρόπαια δὲ τὰ σα μνήμης τεύξεται τῇ τῶ σῆσαντος Φωνῇ, pulcherrimum illud, ut audiui, insequi Barbaros, & VICTORIAS SCRIPTIS consignare; eundemque esse, reuera Oratorem, & belli Ducem. Achilles quidem Homero indiguit, Alexander autem multis Scriptoribus: tua vero tropæa, illius, qui ea erexit, voce posterorum memoria mandabuntur. Sic ille rursus ad eundem Cæsarem Lib. IV. Epist. LX. Διπλὴν ἀνήρησας νίκην τὴν μὲν ἐν ὅπλοις, ΤΗΝ δὲ ΕΝ ΛΟΓΟΙΣ, καὶ σοι τρόπαιον ἔσημας τὸ μὲν ἀπὸ βαρβάρων, τὸ δὲ ἀπὸ ἐμῶ τῶ Φίλου τρετὶ δὲ τρόπαιον ἡδίων τῶ κεκτημένῳ, duplicem consequutus es victoriam: hanc quidem armis, ILLAM vero LIBRIS a te scriptis: & tropæum tibi erexisti; illud quidem e Barbaris; istud vero a me, tuo amico: hoc autem tropæum ei, qui illud possidet, iucundius. Ad Misopogonem vero seu Antiochicum, quo dicacis populi contumeliosos ac scurriles in se iocos, Satyrico vicissim sermone potius, quam alio vindictæ genere, ulcisci voluit, qui iam vnus summæ rerum præerat IVLIANVS, respexit, quod non obseruauerunt priores illius opusculi editores, idem Antiochenis Sophista, ubi agens de illis suorum ciuium in Principem maledictis ait, καὶ παρὸν σρεβλώσω καὶ ἀποκτεῖναι, ΛΟΓΩ τὴν πόλιν ἀμύνεται, & quum liberum licitumque esset torquere atque interimere, scripto libro urbem ulciscitur. Cujus lepidi alioquin libelli plures ex antiquis Scriptoribus, Gregorius Nazianzenus, Ammianus Marcellinus, Zosimus, Socrates, quod viderant alii, addo & Suidas, occasionem & argumentum memorant. Eiusdem pariter Cæsares, quo rursus Satyrico scripto nihil venustius vel eruditius ad posteros transmisit IVLIANVS, haud præterit, ut aliorum de eodem, præter Socratem & Zonaram, silentium mirari ferme subeat, Suidas. Nonnulla vero, quæ elucubrauit IVLIANVS scripta, adducit idem Grammaticus, quæ hæcenus ex iis, quas ibidem recenset, huius Principis commentationibus, desiderantur: vnum, περὶ τῶν τριῶν σχημάτων, De tribus figuris: alterum περὶ τῶ πόθεν τὰ κακά, κατὰ τὰς ἀπαιδεύτας, Unde secundum indoctos mala oriuntur. Quæ enim exstat IVLIANI Oratio εἰς τὰς ἀπαιδεύτας κύνας, Aduersus Indoctos seu Imperitos Canes, de eo, quod memorat Suidas, argumento non agit; sed tota in veræ Philosophiæ natura explicanda, & consentaneis eidem Cynicæ sectæ, eiusque auctoris Diogenis, institutis versatur.

Aliud

Paneg. Julian. p. 178.

In Juliani Necem pag. 307.

Orat. VI. p. 180.

P R A E F A T I O.

Aliud insuper Iuliani scriptum tangit Suidas, *Saturnalia* nempe, quæ cum ibidem ab eius *Cæsaribus*, quod ad eosdem dudum monui, & viderat iam Petavius, aperte distinguit; tum nonnulla inde adducit, quæ in dictis Cæsaribus non leguntur, & quorum etiam Saturnalium meminit sub finem Orationis in Solem IVLIANVS. Adde, quod ad ejus de Nesibena obli-  
Orat. IV. p. 157.  
dione commentarium, seu ad Orationes, quæ inter opera ejus, & principe quidem loco leguntur, primam ac secundam, lectorem, uti mox dicetur, ablegat Zosimus. Neque vero elucubrata ab eodem IVLIANO, quibus  
Lib. III. c. III.  
Christianam Religionem impie simul ac acerbe impugnauit, scripta, uti de CYRILLI, quod hoc opus itidem exhibet, aduersus eum Apologetico mox agetur, reticuit Libanius. De quibus autem singulis liquidius constare cuius poterit, ex ipsorummet Auctorum, quæ ad calcem huius Præfationis adponentur, verbis; qui illas nempe Augusti huius Scriptoris, vel obiter commemorauerunt, vel etiam laude sunt prosequuti, lucubrationes. Neque enim alias adnotarunt, qui supersunt hodie veteres Auctores & Grammatici; nisi forte quod Epistolas omnis generis ab eo scriptas tradit Libanius, ut ex iis plures hodie desiderari, facile liceat statuere: aliquas alibi nominatim tangit, uti etiam Zosimus, de quibus paullo post dicetur, quæ inter reliquas huius Principis Epistolas hodie non leguntur. Mitto quod summæ venustatis & elegantix *Pœmata* ab illo condita, & adeo quidem, ut Oratores ac Philosophos arte Poëtica, immo admirabili quoque, eodem Sophista iudice, vocis concentu, superarit IVLIANVS. Vnde alibi de eodem refert, Philosophum Atheniensem, qui ad eum accesserat, in discessu munus ab illo accepisse, quod solus ex Imperatoribus dederit, nempe versus: etsi simile quid de Augusto fuerat iam antea memoriæ traditum. Exstant vero etiamnum, & quæ in hoc opere itidem leguntur, duo huius Imperatoris Epigrammata: vnum in vinum hordeaceum, alterum, quo organum describit: vtrumque, quod illius eo in genere facultatem satis prodit.  
Libanius Paneg. Jul. p. 248. Ibid. p. 240.

E quibus autem, & ex iis quidem, quæ ad hanc ætatem sunt prodita, & hoc volumine continentur, IVLIANI operibus liquet, ad quatuor classes eadem reuocari, *Orationes*, *Epistolas*, duos satyricos libellos, *Cæsares*, ac *Misopogonem*, & tandem quos *aduersus Religionem Christianam* conscriptos ab eodem libros, & a se grauissima disputatione confutatos, vnus ad posteros transmisit Antistes Alexandrinus. De *Commentario Belli Germanici*, qui iniuria temporum, uti de eo paullo ante, periit, iam non est agendi locus: aut de iis eius Orationibus, vel scriptis, quæ idem fatum subiere. Ex iis autem, quas adhuc hodie versamus, ORATIONIBVS, aliæ sunt, quæ CONSTANTII patruelis ac Imperatoris, a quo in Cæsarem fuerat adscitus, tum EVSEBIAE Augustæ, cuius beneficio seruatus, eamque dignitatem adeptus potissimum fuerat IVLIANVS, amplissima laude defunguntur. Quæ autem illas excipiunt, duæ IN SOLEM, ac IN DEORVM MATREM Orationes, seu, ut de priori sub eius finem loquitur, *Hymni*, ea occasione, quam eadem produnt, aut de qua aliunde constat, conditæ: prior nempe, ut ipse haud obscure in eadem innuit, tempore Ludorum INVICTO SOLI apud Romanos, exeunte Decembri, solemniū; & ab eo quidem, qui non vbiq̄ solum se in peculiari Regis magnique Dei Solis  
Orat. IV. p. 158. Ibid. p. 156.  
clien-

PRÆFATIO.

clientela constitutum tradit; sed cui Aedem etiam in media Regia ab illo erectam docet Libanius. Alteram vero, occasione susceptæ a IVLIANO ad Deam Phrygiam expeditionis elucubraram, liquet ex eodem Sophista; de cuius autem utriusque Orationis argumento, abstruso illo simul ac vanissimo, nonnulla differendi erit adhuc locus. Quæ vero eosdem Hymnos seu Orationes subsequuntur, ambæ CONTRA IMPERITOS, seu verius adulterinos, CYNICOS, qui a veris sectæ illius placitis, & eiusdem auctorum moribus ac institutis longe recederent, sunt comparatæ. Prioris autem occasionem & argumentum suppeditat itidem, non eo solum loco, quem ad eundem adduxit Petavius, sed alio adhuc, quemque iam antea obiter adtigimus, haud minus notabili, Libanius: ubi nominatim ad Bosporum ea Oratione, eademque incredibilis venustatis plena, perstrictum quendam ait, qui præ inscitia se Diogenis imitatore ferebat. Ex ipso autem sequentis Orationis lemmate, eiusque exordio, eadem redargui liquet alterius, Cynicum falso e-mentiti, impios de Diis ac Religione sermones, vitamque pariter & mores, a genuinis & salubribus Cynicorum institutis ac moribus longe abhorrentes. De qua insuper Oratione illud hic non est prætereundum, quod eandem non a IVLIANO conscriptam solum post Constantii obitum, sed habitam insuper, ipsemet testatum ab eius ferme initio & alibi in eadem reliquerit. AD SALVSTIVM, Galliarum nempe Præfectum, non alterum vero (vt bene iam ex Ammiano Marcellino notarunt, & qua de re filet Petavius, eruditi) Præfectum Prætorio Orientis, scriptus est Sermo, qui dictis modo Orationibus adnectitur, CONSOLATORIVS; ob eundem nempe Salustium, Constantii iussu, a IVLIANI iam Cæsaris & in Gallis tum agentis latere aulicum, vt istud tangunt Libanius ac Zosimus: & prior quidem, dum sub Phænicis nomine eundem indicat Salustium, quod vt Achillem Phœnix, prout id erudite ad Ammianum iam vidit doctissimus Valesius, sic ipse IVLIANVM præceptis imbuerat. Præclara certe eiusdem Salustii in se beneficia, ac in omnibus laboribus, periculis, studiis, rebus gerendis, omni denique publicæ priuatæque vitæ actu, secum communionem prædicat, ac inde incredibilem quendam ob eius discessum, quo intime adfectus esset, dolorem ibidem enarrat. Adeo, vt excellentis cuiusdam in eo fastigio, ad quod iam euectus fuerat IVLIANVS, naturæ, quæ a carissimo utilissimoque vitæ duce ac socio ægerrime diuelli vellet, imaginem, eadem Oratio nobis exhibeat. His adnectuntur duæ longiores EPISTOLAE; prima Ad THEMISTIVM, clarum ea ætate Philosophum ac Oratorem; qua arduum maiusque humanis viribus imperandi onus, quibus subiaceat incommodis, aut officiis, vel præceptis; quam procul a tranquillitate, umbra, otio, in præsens rerum discrimen, ad actionem, ad vim fortunæ prudentia temperandam, traducat principem; quid sibi priuatim, vt se illi fastigio haud imparem præbeat, incumbat; apud amicum, a quo iis de rebus fuerat prudenter admonitus, præclare ac opportune differitur. Altera vero, AD ATHENIENSES EPISTOLA, seu de suscepto imperio, ac inde contra Constantium expeditione, liber apologeticus, vt a Libanio, qui & alibi rursus illius meminit, dicitur: & qualem ad Lacedæmonios quoque & Corinthios scripsisse IVLIANVM, testantur Zosimus, & qui inde, ex ea nempe ad Corinthios scripta, quædam addu-

In Necem  
Jul. p. 292.  
Paneg. Jul.  
p. 247.

In Necem  
Juliani p.  
255. Tom. II

Vid. Orat.  
VII. p. 205.  
& p. 223.

Vid. Jac.  
Gothofr. in  
Prosopog.  
Cod. Theod.  
& Ant. Pagi  
Crit. Baron.  
p. 186.  
Paneg. Jul.  
p. 2. 36.  
Lib. III. c. V.  
Lib. XXV.  
cap. V.

In Necem  
Jul. p. 285.  
Paneg. Jul.  
p. 242.  
Lib. III. c. 2.

P R A E F A T I O.

adduxit verba, Libanius: innuitque ipsemet sub finem huius ad Athenienses Epistolæ, dum eadem *ad Communes omnium Græcorum ciues se perscripisse* ibidem perhibet. In FRAGMENTIS sequentis ad Pontificem quandam Gentilem EPISTOLAE, quæ male in scriptis IULIANI codicibus, ac in Vosiano itidem, quo vti sumus, *Epistola ad Themistium* fuerat intexta, de hominum inter se communione, præstanda in egenos beneficentia, simulacris Deorum colendis, qualesque esse deceat sacerdotes, agitur: cuiusque postremi argumenti exstat itidem, quæ haud paullo integrior, & primum a nobis conuersa hic prodit, inter Iuliani Epistolas postrema. Duos vero omnium summæ venustatis ac eruditæ elegantiae laude conspicuos libellos, CAESARES ac MISOPOGONEM, qui hæc proxime excipiunt, non iam tango: qui & alibi pridem ad eosdem Cæsares, in linguam Gallicam a me conuersos ac illustratos, de illius scripti Satyrici natura, instituto, dotibus, prolixè disserui. De MISOPOGONE, altero Satyrico itidem libello, seu de eius argumento, quaque occasione sit ille a IULIANO conscriptus, egerunt iam alii; & præter veteres, quos eam in rem adduxit Petauius, Auctores, addi possunt, qui elegantissimæ illius lucubrationis meminere, quem paullo ante iam innuit Libanius, ac Theodoritus. Subduntur vero iisdem libellis, a IULIANO scriptæ ad varios EPISTOLAE, quarum nonnullæ ab antiquis etiam Scrip-  
pro Ari-  
 stoph.p.117.  
 Tom. II.  
 και προς  
 κοινους των  
 παντων  
 Ελληνων  
 πολιτας  
 γεγραφας  
 287.

ptoribus memorantur. Agmen vero eadem claudunt in antiquis, qui hæc-  
P. Martini-  
 us in Prae-  
 fatione.  
 Hist. Eccl.  
 Lib. III. cap  
 XXII.

tenus reperiuntur IULIANI codicibus: vt nusquam in iis conditi ab eodem aduersus Christianorum Religionem, & pro tuenda Gentilium impietate, libri, de quibus postea dicitur, compareant. Quam autem singularem cum eloquentiæ, tum doctrinæ laudem, IULIANO Gentiles iuxta, ac, de quorum iudiciis minus licebit dubitare, Christiani illa & proxima ætate scriptores, certatim tribuunt; vtramque luculenter eadem, de quibus modo egimus, quæque hoc opere continentur, eius scripta nobis etiamnum produunt.

Ac eloquentiam quidem quod adinet, quæ insita IULIANO a natura ad eam capessendam vis ac indoles fuerit, & quantum in ea, sub præstantissimis illa ætate dicendi magistris, studii operæque posuerit, liquidum ex iis, quæ de eius institutione, Constantinopoli primum, dein Nicomediæ, ac Athenis tandem, est memoriæ proditum, ac obiter supra adtigimus. Quum vero eam artem tum profiterentur, qui vulgo Sophistæ, qua de re iam ante, appellari consueuerant; & a quibus natiuus ille ac antiquus Atticæ venustatis lepos, quibusdam verborum argutiis, ac minus rotundo & æquabili dictionis genere, haud parum imminuebatur: hinc ad veterum illorum, quibus ipsæ quondam Athenæ inclaruerant, Oratorum normam, prouide ac diligenter suam dicendi scribendique rationem exegit IULIANVS. Accesit assidua, quemque totum, vt hæc ipsa eius scripta passim arguunt, in succum verterat, Platonis lectio: e qua orationis copiam, suauitatem, ac splendorem sibi affatim comparauit. Vnde etsi clarum esset ea ætate, quem adolescens potissimum lectabatur IULIANVS, atque inter familiares, quod vel Epistolæ huic operi insertæ luculenter ostendunt, dein carissimum habuit, Libanii inter artis oratoricæ magistros nomen; haud parum tamen, si vtriusque scripta inter se conferas, infra discipuli castigatum, æquabile, ac elegans dicendi genus, reperiretur declamatorius, & nimiam diligentiam ac curam, vel Photio iudice, redolens



P R A E F A T I O.

lens Sophistæ Antiochenſis ſermo. Vt non immerito *πρὸς θεῖς* eidem IULIANO, & quidem poſt eius etiam fata, palmam in illa ſua arte tribuat haud vno loco Libanius; dum & *ῥητορικώτατος* ſeu *eloquentiſſimus* ab eo dicitur, illiusque *Sermones* ſeu *Orationes* in ſumma eſſe admiratione; dum alibi ab Oratoribus legendum dicit eum, qui *ἔ dicendi, ἔ dicentem examinandi, eſſet adprime peritus*: & alio ruruſus loco, de eius in Senatu facundia ait, eum modo pauca & ſuauiſſima, modo imbribus ſimilia effuſiſſe. Quibus conſentanea, & quo etiam nomine in arte ſua a IULIANO, non in umbra, non in forenſi, ſed in militari acie, in ipſo rerum diſcrimine, præuentum ſe non ſolum, ſed victum agnoſcit Libanius, in iis ineditis ad eundem Principem Epistoſis, quarum iam ante facta eſt a nobis mentio, & quibus hæc continuo ſubdit, *τοσούτων εἴθε τῶν εἰρηστικῶν σοφιστῶν, οὐ τὰ ἔργα μόνον αὐτοῖς προσθεῖς, ἀλλὰ καὶ τὴν πρὸς τοὺς λογοῦς, ἔς ἐπὶ τοῖς ἔργοις ἐποίησας, ΑΜΙΑΛΛΑΝ, in tantum SOPHISTAS (ſeu dicendi magiſtros) ANTEVERTISTI; non res ſolum a te geſtas iis proponens, ſed IPSVM etiam CIRCA LIBROS, quos de rebus tuis condidiſti, CERTAMEN; ac de ſe in altera Epistoſa nominatim, καὶ σοὶ τρῶπαρον ἔσηκας, τὸ μὲν ἀπὸ βαρβάρων· τὸ δὲ ΑΠ' ΕΜΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΟΥ, ac tropæum quidem tibi erexiſti, illud quidem de Barbaris, iſtud vero DE ME. Cuius etiam in IULIANO viſ eloquentiæ ac ſuada, non in eius ſolum Orationibus elucet; ſed in aliis etiam eius ſcriptis, duobus maxime ſummæ venuſtatis ac elegantię Satyricis libellis, ac in Epistoſis præterea, ſe paſſim exſerit: in quibus omnibus nulla in verbis nouitas, in dictione argutia, in oratione molliſſies aut redundantia, in ſententia obſcuritas; ſed cum maiestate, lepore, decenti verborum ſtructura ac delectu, culta omnia, clara, & perpolita. Adeo vt quamquam iisdem ferme orationis virtutibus eadem ætate celebratus fuerit, cuius Orationes ad nos peruenerunt, idemque IULIANO itidem familiaris, Themistiſſus; nemo tamen, vt opinor, qui vtrumque, harum rerum haud imperitus cenſor, & qui quid Atticum ſonet nouerit, conferre paullo adtentius inſtituet, non IULIANO Atticæ venuſtatis ac elegantię potiorem continuo laudem adiudicabit.*

Doctrinam vero diſfuſam ac reconditam, eadem hæc IULIANI ſcripta paſſim produnt: ſiue illius, quæ in accurata interiorum litterarum, antiquitatis, ac hiſtoriæ veteris notitia verſatur: ſiue alterius, quæ Philoſophiam, eamque a vulgi etiam ſtudioſorum cognitione ſubmotam, complectitur, & qua arcana ſeu myſtica Gentilium Theologia continebatur, rationem tradit. Adeo vt haud immerito de IULIANO, vt *erudito ἔ ſtudioſo cognitionum omnium principe*, iudicium tulerit, qui næuos cæteroquin eius haud diſſimulat, grauis eique familiaris Auctor: aut e priſcis Oratoribus, Hiſtoricis, Philoſophis, nullum illius diligentiam effugiſſe tradiderit Libanius. Adde nec Poëtas, prout alibi hoc de eo memoratum ſupra elogium idem perhibet; quod Oratores, vnius ſapientiæ ſtudio; Philoſophos, oratoria facultate; Poëtica autem, ne & hac laude, vt iam de ea paullo ante, eum putemus caruiſſe, vtroſque ſuperarit. Vnde etiam hæc Mamertini Conſulis de eodem Principe verba: *tu exſtinctâ iam LITTERARVM ſtudia inſtammaſti: tu PHILOSOPHIAM paullo ante ſuſpectam, ac nedum ſpoliatam honoribus &c.*

de Vita ſua pag. 41. λόγων δὲ εἰς τὸ θανούμαζοντα Ibid. In Necem Jul. p. 257. Orat. Fug. p. 299.

Lib. I. Epist. XXI.

Lib. IV. Epist. LX.

Ammian. Marcell. Lib. XXI. cap. I.

Legat. ad Jul. p. 157. Idem Pa. neg. Jul. p. 248.

Grat. Al. cap. XXIII.

PRÆFATIO.

*auro gemmisque redimitam, in regali folio collocasti.* Quæ autem magnifica nimis & adfentatorie, de Principe solo rerum potente, in ipso iuuentutis flore, eoque præterea summe laudis cupido, dicta ab eius amicis & clientibus, videri forte nec immerito nobis possent; ni & ab aliis, qui ob derelictum ab eo & adfluctum, vtrumque impie ac nefarie, Christianæ Religionis cultum, non ornandum eum sibi, sed omni potius probrorum genere infectandum credidere, testata ferme eadem forent; immo ni eius rei luculentam & certissimam fidem hæc ipsa eius opera nobis etiamnum facerent.

Greg. Naz.  
Inuel. I. p.  
58. 61. So-  
crates Lib.  
III. c. 1.

Ac priorem quidem illam doctrinæ supellectilem, qua quicumque haud tenuiter sed laute sunt instructi, vulgo eruditi censentur, quæque sub liberalium disciplinarum nomine, per omnes interiorum litterarum ac abditæ vel remotæ antiquitatis recessus, per veterum Auctorum ac Bibliothecarum forulos peruagata, lumen inde ac opes, seu thesauros verius, mutuatur; eam, inquam, in IVLIANO nemo vtique, qui non in eadem fuerit plane hospes, iure desiderabit. Ita ea facultas passim in omnibus eius scriptis, in singulis etiam paginis elucet, ita opportune simul ac perite inde orationi suæ vim ac splendorem arcescit, aut, quod ei præ manibus est, argumentum scite explanat ac illustrat; vt eo quidem in genere nullum, non illius solum ætatis, sed vel anterioris, aut quæ est eam proxime subsequuta, Auctorem eidem merito anteponas. Neque vero eam in rem huc adducam, quæ vel ad vnum eius libellum, *Cæsares* nempe, olim differui vel adnotauit: vt ex omni ac retrusa subinde veterum Auctorum, Oratorum, Historicorum, Poëtarum, Philosophorum penu, singula ferme aurei dicerem, si ab eo omnis exulasset impietas, illius scripti verba desumpserit, aut ad quæ erudite, ac citra pædagogicum fastum, adluserit IVLIANVS. Neque multum infra eam laudem, eiusdem ferme genii vel indolis *Misopogon*; vt vel ex adtentâ eius lectione, cuius hisce litteris vel mediocriter tincto, aut præter Petauianas ad eum curas, ex adnotatis etiam ad eundem nostris, vberius liquere cuius poterit. Verum neque illis liberalis ac elegantioris doctrinæ ornamentis, vel præsidiiis, aliæ huius Principis lucubrationes, *Orationes* nempe & *Epistola*, destituuntur. In iis vtique singula ferme, veteris alicuius & melioris quidem notæ Auctoris vel Sapientis, Homeri, Socratis, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, Plutarchi, aliorumue illius ponderis ac famæ testimoniis comprobantur; aut prisca laudatque Legislatoris, Solonis, Lycurgi, Zamolxidis, iurisque Romani conditorum, scitis & auctoritate firmantur; aut petitis e veteri Persarum, Græcorum, Macedonum, Carthaginensium, Romanorum historia, aut ex eorum subinde ritibus, exemplis: vel delibatis ac sparsis, sed manu prouida, e Tragicorum, Lyricorum, aliorumue id genus Poëtarum lectione flosculis, elucidantur passim ac illustrantur. Quorum omnium ratio, vel e nostris, quæ ad primam Augusti huius Scriptoris Orationem hic demum, qua de re infra, prodeunt, Observationibus elucet; ex iis vero, quæ ad reliqua eiusdem operacum Deo proxime subsequuntur, adnotatis, plenius longe ac liquidius constabit: illudque a se vere adimpletum, quod alicubi obleruat, *iuueni* nempe *alimento copioso ac sincero, quod ex veterum monumentis percipitur, opus esse.* Adeo, vt quam largiter fuerit disciplinis illis liberalibus, & a Philosopho quidem, vt ipsemet id alicubi testatur, imbutus; seu quantum sub insigni illo

γραφῶν δὲ  
πολλῶν καὶ  
καθ' ἑαυτὴν  
τῆς ἐν ταῖς  
παραλαβῶν  
γραμματέων  
Ορατ.  
III. p. 125.

P R A E F A T I O.

*Orat. VII. p. 235.* earundem optimarum artium doctore se extulerit, haud immerito testatum reliquerit Antiochensis Sophista, iis verbis, quæ ad memoratum Iuliani locum indicta reliquit Petavius; quæ autem e modo dictis haud parum fidei ac lucis mutantur. Exstant nempe ea in Libanii ad hunc Principem Legatione: *pag. 157. Tom. II.* ἀλλ' ἀνὴρ Λακεδαιμόνιος, ἱερεὺς δικαιοσύνης, ἡγεμῶν παιδείας, εἰδώς, εἶπερ τις, τῆς Ὀμήρου γνώμης τὰ ἀπόρρητα, καὶ σύμπαντός γε περὶ τὸν Ὀμηρον χορῶν. ὃν ἐδέξω μὲν νέος ὢν, ὡς εἰκός, τὸν τηλικῶτον. ἐπίσταται δὲ νῦν, ὡς εἰκός, τὸν φιλοσοφῶντα. καὶ μὴν καὶ ΡΗΤΟΡΑΣ ΑΠΑΝΤΑΣ, καὶ ΣΥΓΓΡΑΦΕΑΣ, πολλῶν πραγμάτων ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΥΣ. ὢν ὁ πόνος ἄρδεν τῶν ἀρχαίων ἀφῆκεν ἀγνοηθῆναι· προσπεριέληφας τοῖς ΑΠΟΤΩΝ ΜΕΤΡΩΝ χρησίμοις, sed virum Lacedæmonium (Nicolem nempe, ut aliunde constat) iustitia sacerdotem, ERUDITIONIS DVCEM, qui, si ullus unquam, Homericæ mentis arcana, & uniuersi addicti Homero chorî, nouerat; tu iuuenis adhuc accepisti, ut par fuit, tanto usu & doctrina præditum: audis vero nunc, ut te decet, philosophantem. Quia ORATORES etiam omnes, & HISTORIARVM scriptores, multarum rerum doctores, quorum labor nihil de antiquis rebus finit ignorare: quæ singula perceptis a te e POETARVM lectioe utilitatibus adiunxisti.

lis autem ea subdit continuo Libanius, quæ singularem IULIANI, in altero illo doctrinæ ac sublimioris quidem genere, præstantiam abunde prædicant. Ait enim, exquisitæ eius in liberalibus disciplinis, omnisque generis Auctoribus, qui eas excoluerant, peruoluendis industriæ ac diligentia, apicem a diuinis illis viris, Socrate, Pythagora, Platone impositum, & ab omnibus, quotquot ab illo fonte emanarunt, riuulis: horum enim nullum effugisse eius intelligentiam; sed illos, eam ingressos, pulcræ eandem & generosam effecisse. Haud vana vero esse, aut a Sophista adsentatorie demum dicta, hæc de Imperatore philolopho elogia, cum e grauisissimis aliorum eiusdem æui, & qui IULIANO cæteroquin minime fauebant, iudiciis; tum ex ipsis eius operibus, ut id paullo ante iam innui, liquidum fit ac manifestum. Philosophiæ certe, haud minus quam eloquentiæ, aliarumue bonarum artium studiis, eum a pueritia vacasse, tradunt præter Gentiles, eique coæuos Scriptores, Libanium, Ammianum Marcellinum, Eunapium, Victorem in Epitome, Gregorius Nazianzenus, Socrates, Sozomenus, aliique. Ac Maximo quidem Ephesio, eique Cynico, uti liquet e IULIANI ad eundem Epistola, summo autem ea ætate Philolopho, Nicomediæ primum dedisse illum operam, referunt iidem Socrates & Sozomenus: quod tamen in Ionia, in quam ille adolescens se contulerat, ac vbi agebat Maximus, ab eo factum memorant Libanius & Eunapius. Alium vero Maximum Philosophum, nempe qui Epirota seu Byzantius fuerit, refert, quod supra obiter adtigi, Suidas, quo doctore vltus sit Iulianus, quique ei commentarios aliquot philosophicos nuncupauerit: quum tamen eundem, non ab illo Maximo Byzantio, sed ab Ephesio, Philosophiæ rudimenta percepisse, aperte tradat Socrates: neque in huius IULIANI rebus alterius Philosophi Maximi, præterquam huius Ephesii, non vero Tyrii, prout perperam in notis ad Libanium, ut cum Plinio loquar, marginatis dicitur, seu quem ille in Philosophia ducem ac magistrum sit nactus, facta occurrat mentio. Vnde præter Scriptas ab ipso, quæ etiamnum exstant, & in hoc

ἀγε μὴν καλοφῶν τὰ ἱερῶν θεῶν ματα, Σωκράτους, Πυθαγόρου, Πλάτωνος Legat. ad Iul. p. 157.

Paneg. Jul. p. 175. 176. & p. 233. Lib. XVI. cap. V. in Maximo p. 85. Inuest. I. p. 58. & 61. Lib. III. c. I. Lib. V. c. II. Epist. XXXVIII. p. 412. Paneg. Iul. p. 175. in Maximo p. 90. in Maximiano p. 105. Lib. III. c. I.

pag. 175. Tom. II.

hoc opere le  
annum fecer  
eis legi,  
plius lucra  
περὶ τὴν  
ταὺ κατ' ἴ  
de quo paul  
inueni, qu  
max. Quæ  
Iuliani fara  
p. MAXIM  
clerici fr  
Ne ea iam ad  
ac Iuliani doc  
is de eo agit.  
bis est præ ma  
erunt alias  
le. Secret huc  
sed Christian  
Iulianem, quo  
p. Cynico  
his primam  
ambitione ac  
ecceat. A  
eundemque g  
lectum est, co  
hoice vel man  
Itaque in E  
Epistola, quæ  
cibus legitur.  
accertat, qu  
mites, ad fatis  
Marcellino leg  
dinationibus  
Socrates. Ne  
surgit, immo  
tum tum est  
sua ratio in  
modo, immo  
ab eo tunc  
quidem, non  
quod Iulian  
sua salutar  
im, qui præ  
tinent, qu  
cula

P R A E F A T I O.

hoc opere leguntur, ad eum Epistolas; in quibus, quanti is eundem *Maximum* fecerit, ut *quamdiu ille abest, vita frui non possit, nisi quatenus litteras eius legit*, abunde ostendit; alibi eundem, a quo nempe Philosophicis disciplinis fuerit primum imbutus, insigni ornatum elogio designat, *μεθ' ὃν ἐπὶ τὰ πρόθυρα τῆς Φιλοσοφίας ἦλθον, ὑπ' ἀνδρὶ τελεωθησόμενος, ὃν ἐνόμισα τῶν κατ' ἐμαυτὸν πάντων διαφέρειν*, a quo (nempe Nicocle Grammatico, de quo paullo ante) *ad Philosophiae vestibulum me contuli, ut ab eo viro sacris initiarer, quem omnium aetate mea praestantissimum esse indicarem, quemque mox Φιλοσοφώτατον nuncupat.* Hinc de eodem *Maximo*, a Valente post Iuliani fata capitis damnato, tradit Ammianus Marcellinus, *neque ita multo post MAXIMVS ille Philosophus, vir ingenti nomine doctrinarum, cuius ex uberrimis sermonibus ad scientiam copiosus IVLIANVS exstitit Imperator.* Ne ea iam adducam, quæ de eodem, ut praestantissimo illa aetate Philosopho, ac Iuliani doctore, ex ineditis Libanii Epistolis iam adduxit ad Socratem, ubi is de eo agit, doctissimus Valesius; & quibus plura e codice, qui adhuc nobis est præ manibus, Vossiano, & de quo facta iam ante mentio, in quo plures inter alias leguntur Antiochensis illius Sophistæ ad hunc *Maximum* Epistolæ, liceret huc adferre. Ut de alio adhuc eadem aetate *Maximo* Philosopho, sed Christiano, nihil dicam, ad quem exstat Athanasii Epistola: seu alius, seu idem, quod vero propius videtur, cum illo fuerit *Maximo* Alexandrino, qui e Cynico Christianus, Basilii & Gregorii Nazianzeni Epistolis ac Orationibus primum celebratus; dein inimicitias cum eodem Gregorio susceptis, ambitione ac schismate, cui occasionem dedit, priorem famam haud parum decoxit. Addendi cæteroquin *Maximo* illi *Ephestio*, alii celebres eodem aetate eiusdemque gentis Philosophi, *Aedesius*, *Chrysanthius*, quos itidem adolescens sectatus est, eorumque consuetudine in Ionia usus IVLIANVS: ac præter hosce vel maxime *Priscus* Epirota, cuius aduentum a se cupide expectari, testatur ipse in Epistola ad Libanium; & ad quem alia exstat eiusdem Principis Epistola, quæ non ad Libanium, sed ad *Priscum* scripta in aliis antiquis codicibus legitur. Eundem vero *Priscum*, iuxta *Maximum*, ad se iam Imperator accersuit; quosque ambos inter familiares, & expeditionis etiam Persicæ commites, ad fatalem usque vitæ exitum ab eo retentos, ab Eunapio & Ammiano Marcellino liquet: immo quem *Maximi*, qui cum eo assidue versaretur, diuinationibus fuisse adductum, ut Persarum supplicationes reiceret, tradit Socrates. Neque vero hic prætereundus is, cui in hisce operibus præ aliis adsurgit, immo quem supra humanæ sortis fastigium extollit, cuiusque clarissimum tum erat nomen, *Iamblichus* nempe: quem ait *Solis instar, sapientia suæ radios in omnes effundere, ac inde commune orbis terrarum lumen vocat; modo, animarum medicum; modo, ad cuius tunicam vellet adhaerescere, nec ab eo ullo unquam tempore diuelli.* Adde, de quo alibi dicit, cum tempore quidem, non vero indole, Platone posteriorem exstitisse; quemque non magis solum herois ornat ibi elogio, sed alio loco *Mercurium suum* vocat, cuius *adyta salutare, & simulacra complecti gestiatur.* Accedit, quod non viuis solum, qui præ cæteris eminere illo aetate credebantur; sed mutis etiam priscae memoriæ, quique famæ in his disciplinis seu sapientiæ arcem ante tot retro secula occupauerant, doctoribus se erudiendum, quod ipsemet alicubi obiter

Epist. XV.  
p. 383.

Orat. VII.  
p. 235.

Lib. XXIX.  
cap. I.

ad Lib. III.  
cap. I. p. 30.

pag. 162.  
Tom. II.

vide Euna.  
pium in

Maximo  
p. 85. 90.

Epist. III. p.  
374.

Epist. XLII.  
p. 445.

Vid. Liban.  
pro Ari-

stoph. p. 212.

in Mani-  
mo p. 101.

Lib. XXV.  
cap. III.

Lib. III. c.  
XXI.

Epist.  
XXXIV. p.  
406.

Epist. XL.  
p. 419.

Epist. LX.  
p. 442.

Orat. IV. p.  
146.

Epist. LIII.  
p. 439.

Orat. VII.  
p. 235.

P R A E F A T I O.

Orat. Fulv. in Sul. p. 277. Ibid p. 265. Paneg. p. 233. Lib. VI. cap. V. innuit, tradiderat; eosque iugi & adtenta lectione penitus imbiberat IVLIANVS. Hinc modo *Platonis scripta perscrutatus* a Libanio dicitur: modo *genus omne Philosophorum in se collectum habuisse*: modo *eum artem persuadendi populos oratoriam, & sapientia studium ita conciliasse, ut mentem sublimiorem efficeret, rerum sublimium cognitione*: modo, ut de eo Ammianus, *per omnia Philosophia membra prudenter disputando cucurrisset*.

Cuius autem rei certiolem adhuc fidem hæc eius opera perhibent. Ita enim passim Philosophiæ laudem ac vim in iis prædicat, naturam explicat, diuinam originem tangit, primos eius auctores vel duces, aut insigniores quondam doctores celebrat, ita eius studio non solum se incensum, sed amore omnes inflammatos cupit; ut ea quidem in re singularem sublimis animi, erectæque supra ætatem indolis præstantiam, omnino prodiderit. Hinc memorati ab eo, nec infrequenter, in his eius scriptis, Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Democritus, Heraclitus, Epicurus, Diogenes, Antisthenes, totidem sectarum principes: & quorum de primis rerum principiis; de Deo, vno omnium opifice, eoque summo Bono; de diuina & æterna eius essentia; de humanæ felicitatis summa, in Dei cognitione; de nominibus diuinis; de animæ natura, vel partibus; de ratione duce; de vnico Philosophiæ capite ac fine, se ipsum nosse; aliisque id genus doctrinis, scita tangit, dicta explanat, sententiam laudat, aut quandoque etiam refellit. Præ reliquis autem Plato, quem ut Philosophorum Deum venerabatur, & quem non diuinum duntaxat, sed a Diis ortum dicit, vtramque, quod aiunt, in his eius operibus paginam facit; ut se totum illum, quod de eo iam ante a nobis dictum, verè in succum conuertisse luculenter ostendat. Hinc etiam ea, quæ sint ab Aristotele tradita, non omni ex parte perfecta ait alicubi, nisi cum Platonicis, quod ætatis illius philosophandi genus, ut aliunde notum, existit, coniungantur. Immo non Græcorum solum, sed Phœnicum etiam & Chaldæorum, Philosophiæ seu Theologiæ verius adyta se penetrasse, in iisdem prodit. Adeo ut omni laude prædicari meruisset incredibilis illa tam excelsi fastigii Principis, in præclara sapientiæ studia incumbendi, cupiditas; si modum eadem habuisset, nec ultra præscriptos tam præclaro instituto fines esset longius euagata.

Inciderat nempe illa ætas, in qua Christianæ Religionis lumen, discussa tandem inueteratæ quamquam impietatis caligine, se late iam ac aperte diffundebat, in viros, qui Gentilium sacris mordicus propugnandis intenti, trita philosophandi via, ut vulgari, nec eam in rem satis valida, relicta, sublimiorem longe & magis arcanam, tanquam instituto illi suo longe opportuniorem, sectari & profiteri inceperant. Quam in rem præuis *Ἐξεργηνοῖς*, ut eadem vocarunt, ac ea tangit alicubi his quoque initiatus IVLIANVS, quibusdam sacris & mysticis purgationibus, accedente nonnulla silentii religione, abditam illam rerum diuinarum ac humanarum scientiam, profanis vulgo incognitam, discipulis demum suis ac alumnis interioribus recludebant. Hinc *Ἐκαστος*, seu *diuinos adflatus* præ se ferentes, seque in Deorum consilium & contubernium, ut de illis ea ætate sapientiæ huius sublimioris consultis loquitur Gentilis ipse Eunapius, receptos, fidem iidem sibi ac venerationem apud incautos, vel imperitos, vel supersticiosos, & a fide Christiana auersos, facile

Orat. IV. p. 140. 143. & Orat. V. p. 163. &c. vid. Orat. VI. & VII.

vid. Orat. VI. p. 184. &c.

Orat. IV. p. 140. 143. & Orat. V. p. 163. &c. vid. Orat. VI. & VII.

Orat. IV. p. 188.

Orat. V. p. 162.

Orat. IV. p. 146. Orat. V. p. 172.

Orat. V. p. 173.

In Aedesio p. 74.

PRAEFATIO.

facile aucupabantur. Cuius scientiæ, seu diuiniore cuiusdam & occultioris Philosophiæ, princeps eo tum æuo inclaruerat, de quo paullo ante, Chalcidensis Iamblichus; cuius *Ἐισαγωγὴ* seu *adflatus* ei peculiare tradit in eius vita idem Sardonius Sophista. Exstat autem & versatur hodie in eruditorum manibus, viri inter Anglos eximii labore ac industria vulgatus ante annos haud ita multos Græce scriptus ab eodem Iamblichō de Mysteriis liber: quo mystica illa, non Græcorum adeo, quam Chaldæorum partim, partim Aegyptiorum veterum, ac inde ad Phœnices & Syros propagata, de Diis, de eorum natura & ordine, de vero & arcano eorum cultu, sacrificiorum ratione & efficacia, diuinationum causis & generibus, & de Geniis insuper seu Dæmonibus, occultior scilicet doctrina traditur & explanatur. Quibus etsi consentanea quædam, maxime de Deorum natura, de primo rerum principio, de Dæmonibus, aliisque id genus, e doctore suo hausta, exstarent in Platoniorum, qui tum exstabant, Plotini maxime, eiusque discipuli Porphyrii, libris; totum illud tamen *Theurgia*, ut eam vocabant, horumque *Ἐισαγωγῶν*, & quæ eorum beneficio operarentur notii illi sapientiæ diuiniore mysticæ, vis & ratio erat ferme Græcis ignota, aut nec dum fidem & sectatores idoneos nacta. Quod utique vel e Porphyrii, cui librum illum de Mysteriis opposuit Iamblichus, Epistola, ac præterea ex Eusebii, Gentilis Philosophi, ad hunc IVLIANVM ea de re apud Eunapium verbis, quibus eum nempe, ne id genus Maximi Philosophi *deliramentis*, ut eadem vocabat, ac *præstigiis* continuo fidem daret, sed frustra, voluit dimouere, abunde licet colligere. Haud eo minus, etsi non absque negotio, & post elapsam demum aliquod temporis, ut id alibi tradit idem Eunapius, spatium, discipulos & sectatores reperit Iamblichus; interque eos ipsum, a quo IVLIANVS philosophicis, ut ea de re paullo ante, disciplinis est imbutus, Maximum Ephesium. Liqueat id ex eodem Eunapio, præter indicata iam Eusebii Myndii apud eundem verba, in vita huius Philosophi, ἦν δὲ ὁ Χρυσάνθιος ὁμόψυχος Μαξιμου τὰ περὶ θεασμῶν συνευθροσίων, erat autem unanimis cum Maximo Chrysanthius, quoad diuinos afflatus, & edendas illo cælestis mentis instinctu operationes; & e sequentibus ibidem plenius de eodem Maximo, iisque, quæ *Ἐισαγωγῶν* illorum beneficio patraret, factis, seu præstigiis. Quibus etiam captum adeo ac deditum tradit Philosophicis tum studiis in Ionia intentum, eumque adhuc adolescentem IVLIANVM idem, Gentilis alioquin & summus eius admirator, Christianæ vero Religionis irrisor Sophista; ut valere iussu, qui eum ab illis Maximi huius præstigiis auocare, ut paullo ante diximus, voluit, etsi Ethnicus itidem foret ac Philosophus, memorato Eusebio, sibi detectum, quem quærebat, eidem continuo regesserit; moxque Ephesium ad Maximum profectus, ab eo totus pependit, & vniuersam viri doctrinam mordicus retinuit. Cuius etiam rei fidem insuper facit, quod eiusdem Maximi, dum in Ionia apud eum versaretur, de his, qui vniuersum hoc condiderunt & conseruant, doctrina permotum, effractis leonis more vinculis, errore excusso & caligine liberatum, veritatem loco ignorantia percepisse, hoc est, eiurata clanculum fide Christiana, Gentilium impietatem amplexum IVLIANVM tradat Libanius: quodque eundem Maximum, vbi aliquot post annis solus imperio præfuit hic Princeps, Constantinopolim, ut ea de re iam

Eunap. in Iambli. p. 47.

ἐπὶ μακί-  
τινός ὁμο-  
σας in Μα-  
ximo p. 89.  
ἔτα μέγα  
π χρεῖμα  
εἰς ἡμᾶς  
τῆς λαμβλί-  
χου σοφίας  
διετάνη,  
καὶ συμ-  
περάσθη  
τῶ χρόνῳ  
in Acadē-  
p. 37.  
in Maxi-  
mo p. 86.

ἔκρημα-  
το τε τῆ  
ἀνδρῶν, καὶ  
ἀπείε τῆς  
ἄλλης σφί-  
ας εἰχίτα  
in Maxi-  
mo p. 90.  
pauz. Iul.  
p. 175.

P R A E F A T I O.

ante, continuo ad se accitum, inter intimos familiares, ad vltimum vitæ exitum penes se habuerit. Qua ratione insuper factum, vt memoratus supra doctrinæ illius de Diis, eorumque natura, cultu, sacris, apparitionibus, seu Gentilium Theologiæ occultioris ac sublimioris princeps Iamblichus, eo in pretio & loco sit ab eodem IULIANO habitus; e cuius etiam libris se mysteriis illis initiatum, eaque, quæ de hisce differit, edoctum tradit ipsemet in Oratione de Sole, τὸν Χαλχιδέα Φημι τὸν Ἰάμβλιχον ὃς ἡμᾶς τὰ τε ἄλλα περὶ τὴν Φιλοσοφίαν, καὶ δὴ καὶ ταῦτα διὰ τῶν λόγων ἐμήσεν, Chalcidensem Iamblichum dico, qui cum alia in Philosophia, tum hæc ipsa nos arcana libris suis edocuit, seu iis nos inuitauit. Quibus gemina alibi adhuc in eadem Oratione leguntur, vbi se mystica illa, eaque deprompta e Phœnicum Theologia, a Iamblichō dicit, pauca nempe de multis accepisse. Accesit hisce duobus occultæ illius sapientiæ, seu vanissimæ potius superstitionis ac impietatis, quibus mordicus adhæsit, vt de eo dicentem vidimus Sardonianum Sophistam, IULIANVS, doctoribus, Atheniensis illo xuo hierophanta, seu Eleusiniorum ibi sacrorum antistes. Qua de re audiendus est idoneus rursus nec suspectus vniue Auctor, idem nempe Gentilis, Eunapius; qui vbi IULIANVM Maximo, illique, vt antea vidimus, quoad id genus doctrinas diuinis adflatus ὁμοψήφῳ Chrysanthio, in Ionia vacasse aliquamdiu tradidisset, addit, ὡς δὲ καὶ ταῦτα εἶχε καλῶς, ἀκίστας τὶ πλέον εἶναι κατὰ τὴν Ἑλλάδα, παρὰ τῶν τῶν θεῶν ἱεροφάντη, καὶ πρὸς ἐκεῖνον ὄξυς ἔδοξαμε. paullo post, τότε δὲ ὁ μὲν ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ τῷ θεοτάτῳ ΙΕΡΟΦΑΝΤΗ συγγενόμενος, καὶ τῆς ἐκείθεν ΣΟΦΙΑΣ ἀρυσάμενος χανδόν, vt vero pulcre istic fuit instructus IULIANVS, vbi intellexit PLVS ALIQVANTVM latere in Græcia apud HIEROPHANTAM, Eleusiniorum sacrorum antistitem, velociter illuc accurrit: dein, tum temporis IULIANVS diuinissimi Antistitis familiari vsus colloquio, ἘXPΛΕΤVS SAPIENTIA, quam affatim INDE hauserat. Quibus paullo post addit, IULIANO in Gallis, ad quas pacandas fuerat cum Cæsaris potestate missus, hærente, e Græcia accitum ab illo eundem Atheniensem sacrorum Antistitem, cum quo remotis arbitris nonnulla solis ipsis cognita peregerit; quum cateroquin omnes lateret, quod Deorum cultui foret ipse additus.

Vt minus vtique mirum videri debeat, hisce doctrinis, ac a talibus eorundem triumuiris, imbutum ab adolescentiâ IULIANVM, a salutari veri Dei cognitione, ad exitiosum Deorum, seu Idolorum verius, cultum descivisse; illiusque vel impietatis, vel superstitionis, vel vanissimæ, qua se supra vulgus effetre voluit, ipse, vti eundem a Gentili Scriptore appellatum diximus, *in Epist. in Epist. laudis immodica cupidus*, expressa reliquisse vestigia, non in iis solum libris, quos aduersus Christianam Religionem scriptos, a Cyrillo autem editos maiori ex parte, & confutatos, hic reperiet Lector, sed subinde in iis etiam operibus, quæ sub eius nomine vulgata hic itidem prodeunt. Mitto nefandas artes, νεκρομαντείας, impuri sanguinis lauacro initiatum eundem Gentilium sacris; puerorum & virginum ad animarum euocationem, dissecta in abditis palatii recessibus corpora; quæ de eo vel vera vel incerta fama prodita, a sanctissimis viris, meritissimo Desertoris illius odio, post eius mortem sunt in litteras relata. Ad ea enim hic demum respicimus, quæ ab ipsis inter Gentiles, quique eius cateroquin laudes ac virtutes mirifice extollunt, Scriptoribus sunt

Orat. IV. p. 146.

Maximo p. 90.

Ibid. p. 93.

Ibid. p. 94.

Aur. Viâ. in Epist.

Gregor. Naz. Serp. p. 91. Crystost. Orat. in S. Babyl. p. 95. Tertul.

sum de illo  
geni doctr  
quamquam  
ad Deum  
nus; eide  
his operib  
dein aucto  
ctore, add  
linis quod  
ca illa ac di  
phia seu The  
tum mone  
caute, prop  
chico furore  
quod vnam  
ipsi imponen  
le Oratio: in  
no processerit  
in intelligent  
in æterno  
armis; & a  
ngatur. Adde,  
vbi in libris  
mæ illa, t  
parentis mag  
nempe & De  
nos, quos ip  
splendore suo  
tur, in septem  
ne prouocit.  
Sol iam olim  
dixantibus,  
septem radii,  
Platonis myst  
HAIΩ, τα  
TAKTIZ  
Genis, ἡ ἑπτα  
WDICIALE.  
beni habet, q  
ἡ πρὸς το  
sicut intelligit  
victa nempe  
viam vnam  
cum non cam  
morum obli  
ANI p. 146.

P R A E F A T I O.

sunt de illo testata; aut quorum hæc ipsa, quæ ille posteris consignavit, ingenii doctrinæque suæ monumenta, fidem etiamnum præstant. Adeo ut quamquam Platonis lectione, de Diis, de Dæmonibus, de animarum statu, ad Deorum cultum traductum eundem IVLIANVM, tradat alicubi Libanius; eidem Platoni autem, quod iam antea diximus, adsurgat is passim in his operibus, multa inde loca in eadem transferat, aut a semet prodita, eius dein auctoritate tueatur; aut vero petita inde dogmata, præterito eorum auctore, adducat: haud semel tamen ab eius placitis recedendum sibi, aut sublimius quid & occultius, quodque diuinum illum Platonem fugerit, e mystica illa ac diuiniore, quam aliunde, ut paullo ante vidimus, hauerat, Philosophia seu Theologia, adde, & pro concessa etiam sibi, singulari scilicet, Deorum munere, gratia, ac repentino quodam adflatu, quamquam dubitanter & caute, propalanda censuit. Vnde alibi quoque, se insanientem velut ac Bacchico furore correptum, nescio quæ arcana effudisse: *bovem* proinde *lingua*, quod utinam frequentius & adhuc opportunius factum ab eo foret, *sibi deinceps imponendum* tradit. Hinc vanissima illa, ne quid asperius dicam, de Sole Oratio: in qua de eo, ut qui ab vno quidem ac æterno Deo, sed ab æterno processerit & consistat, eique simillimus, aliorum præterea Deorum *νοερῶν* seu *intelligentium* dominus ac princeps; a quo etiam ut *δημιουργῶ* mundus sit ab æterno, citra ullam productionem, procreatus; ac deinceps futurus itidem æternus; & a quo idem perpetua eius prouidentia, totumque humanum genus regatur. Adde, qui non manifestis solum viribus, seu apparens eius *δισκοῦ*, (pro ut alibi in libris eius aduersus Religionem Christianam, *ὁ φαινόμενος τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡλίου, τῆ νοητῆ καὶ μὴ φαινόμενος*, *apparens oculis Sol, intelligibilis & non apparentis* imago dicitur) totam naturam mouet, agit, fœcundat; sed Rex nempe & Deus magnus, seu *Φῶς νοερὸν*, cuius ingenita sit substantia, in animos, quos ipse procreauit, illabitur, iudicium iis largiens, iustitia regens, & splendore suo eosdem collustrans: immo, qui arcana & diuina quadam virtute, in septem illius radiis infidente, felices animas corpore solutas in sublimi prouehit, sibi que comites in æternum adiungit. Quomodo nempe aut Sol iam olim in Orphicis, seu Onomacriti desumptis inde *τελευταῖς, ὄμμα δικαιοσύνης*, *oculus iustitie* dicitur; aut eundem similiter *ἑπτάκτινα*, *cum septem radiis*, a Theologis dictum, notat, eiusdem Theologiæ in Timæum Platonis mysta, Proclus, *τὸ παιδευτικὸν καὶ ΔΙΚΑΣΤΙΚΟΝ Τῶ ΗΛΙῶ, παρ' ᾧ καὶ ἐγκόσμιος ΔΙΚΗ, καὶ ὁ ἀναγωγεὺς, καὶ Ὁ ΕΠΤΑΚΤΙΣ* (non, ut illi male, sicut in aliquot Iuliani codicibus, sed nullo sensu, *ὁ ἐπτάκις*) *κατὰ τῆς θεολόγης, quod vero ad institutionem facit, ac IUDICIALE, SOLI tribuitur, apud quem mundana IUSTITIA, & qui vim evehendi habet, quique iuxta Theologos SEPTEMHABET RADIOS.* Quomodo ἡ πρὸς τὸ νοητὸν πῦρ ἀνοδος, *ad ignem intelligibilem*, Φῶς nempe illud *νοερὸν solem intelligentem aut intelligibilem*, de quo Iulianus, *adscensus* in hac etiam vita, perfecta nempe virtute, a Iamblichio traditur: aut, ab eodem IVLIANO alibi in Sole, dum vitam agit, quærendum sibi portum & perfugium; quando vero vita excedit, eum *cum bona spe* sibi propitium ducem constituendum, Mercurio scilicet monitore, obseruat. De qua tamen, quod hic non erat prætereundum, IVLIANI post hanc vitam, seu ad Deos migraturi, quam & alibi adhuc tangit,

Orat. Funer. p. 265.

Orat. V. p. 174.

vid. initium Orat. V. p. 158.

Orat. VII. p. 218.

Cyrill. Lib. II p. 65.

Orat. IV. p. 151.

Orat. V. p. 172.

Lib. II. p. n.

de Myster. s. III. p. 104. in Casari- bus p. 336.

Orat. V. p. 180.

bona



P R A E F A T I O.

*bona spe vel fiducia*, ac proinde de tota hac sublimiori Theologia, quis fuerit eius in vitæ exitu sensus, docebit Gentilis, eiusque alioquin laudator summus, *Lib. XXV. cap. III.* Ammianus Marcellinus, *IVLIANVS moribundus, cum Maximo & Prisco Philosophis, super animorum immortalitate PERPLEXIVS disputans.* Ad quem cæteroquin Solem, reliquos etiam illos Gentilium Deos reuocat, Iovem, Apollinem, Martem, Bacchum, Aesculapium, Mineruam, Pronœam, *Lib. I. cap. XVIII. cap. EV. Lib. II.* Mercurium: quod ab aliis itidem factum, non e Macrobio solum, Prophyrio apud Eusebium, aliisque antiquis mythologis, sed e variis insuper ac priscis, iisque symbolicis apud varias gentes Solis, aliorumque id genus Numinum, quæ protulerunt subinde ac illustrarunt viri docti, simulacris, constat; quo autem nomine absurdam ac ineptam eandem, ac de Sole nominatim, physiologiam merito redarguit Eusebius. Mitto quod prioribus consentanea in eadem huius *παραβατης* de Sole Oratione leguntur: cælum nempe innumerabili Deorum multitudine ab eodem Sole esse completum: aut de eodem in tribus, quos obit in cælo, orbibus, tres Gratias gignente: de triplici Gratiarum e cælo influxu, e circulis nempe quadrifariam in cælo diuisis; ac vnde is quadripartitam immittat annuarum tempestatum gratiam: quæ quidem, vt ipsemet id sibi tribuit, subtilius scilicet tangit. Hæc omnia partim e Platonica Philosophia, quod vel docebunt e Christianis Clemens, Origenes, Eusebius, Dionysius ille Pseudareopagita, alique; partim e veteri Chaldaeorum ac Aegyptiorum Theologia, vt id suis ostendetur locis, ac e Iamblichis, a quo is eadem se accepisse fatetur, deperditis de Diis, vel de illa Chaldaica Theologia, quorum fit apud veteres Auctores mentio, aut vero qui etiamnum exstant de Mysteriis, libris hausta: quam vana sint, ac vere, vt cum Comico loquar, *ἀνδρὸς μετεωροφέναιος*, quod vel facta eorum mentio satis superque euincit, iam non dicam: sed quam minime illum decerent, cui verus & *ἀφάνης* Sol Iustitiæ ab ortu illuxerat; cui *Φῶς* illud *νοερόν* vel *νοητόν* (de quo videri potest memoratus paullo ante Dionysius) non in Sole, sed in vno ac vero eius & rerum omnium *δημιουργῶ*, quærendum, e sacris Oraculis fuerat abunde edoctus. In quæ vero insanientis illius sapientiæ, vel eodem, vt paullo ante vidimus, fatente, deliramenta, referri itidem debent, non abstrusæ dicam, vt easdem ipse iactat, aut subtiles, sed futilissimæ verius, quibus Oratio eius in Deum Matrem est repleta, seu vnde tota eadem est contexta, disquisitiones: quibus aniles poetarum fabulas de illius Deæ natura & viribus, de toto eius choragio, Attide, eiusque cum Nympha congressu, castratione, comploratu, fuga in spelunca, latebris; de gallo præterea, Corybantibus, leone, sacra arbore; de peculiari in eius sacris castimonia, cibusque in iisdem vetitis; de tempore, quo eadem sacra Romæ celebrabantur; e mystica, sibi que primum comperta, vere autem insulsa haud minus quam impia, reconditæ cuiusdam doctrinæ facultate, explanare adgreditur. Vnde etiam quæ ea de re philosophatus sit paullo ante Porphyrius, ea nec se vidisse hactenus aut legisse, vt nesciat omnino, an in eadem cum illo incurrat eius sermo, ab eius limine professus fuerat *IVLIANVS*. De Attide quidem, quomodo eum symbolice sit interpretatus Porphyrius, nonnulla apud Eusebium leguntur, quæ cum *IVLIANI* ea de re, quod iam vidit Petauius, sententia nullatenus conueniunt. Cui autem magis accedit, seu qui ea inde mutuatus vide-

*Lib. XXV. cap. III.*

*Lib. I. cap. XVIII. cap. EV. Lib. II.*

*Præp. EV. ang. Lib. III. p. 120.*

*Aristophan Nub. p. 145*

*Metaph. IV. 2.*

*de Diuinis Nomin. 6. IV. Sect. 4. 5.*

*Orat. V. p. 161.*

*Præp. EV. ang. Lib. III. pag. 110.*

P R A E F A T I O.

videtur, Sallustius Philosophus in libello de Diis & de Mundo; vbi etiam inter  
 alia allegorica de Attide vtrique communia, Gallus in illius Deæ sacris lacte-  
 um scilicet circulum, vnde patibile corpus descendat, indicare, vt hic itidem  
 factum, dicitur. Neque aliena rursus ab illa huius τῆ Παραβάτης, de iis Deæ  
 Phrygiæ sacris, Theologia tradidisse alterum eadem, iuxta Sallustium, hoc est,  
 proxima post IVLIANVM ætate Philosophum, Proclum nempe, facile li-  
 ceret opinari; dum apud Suidam dicitur, eum Μητρωακόν, seu de Magna hac  
 Deorum Matre librum edidisse, quem, qui in manus sumpserit, videat conti-  
 nuo, quomodo non sine diuino itidem adflatu, totam illam Theologiam in  
 lucem protulerit atque patefecerit. Quibus consentanea de eodem Proclo  
 refert in eius vita, qui eo magistro vsus est, Marinus, ΤΑΣ ΜΗΤΡΩΑ-  
 ΚΑΣ παρὰ Ρωμαίοις, ἢ καὶ πρότερόν ποτε παρὰ Φρυγῶν παρὰ θεοσεβείας  
 ΑΓΙΣΤΕΙΑΣ, ἐκείσε μὲν ἠγνευσε, sacris autem in honorem M A-  
 TRIS DEVM, a Romanis vel etiam prius a Phrygibus celebratis, semet singu-  
 lis mensibus expiauit. Immo, quod ferme exciderat, qui reuera Proclus hinc  
 IVLIANI de illa Deorum Matre effatis, tanquam de Dea genitrici, anima-  
 rum procreatrice, Deorumque intelligentium, quosque omnibus bonorum gene-  
 ribus cumulet, fonte, seu ζωογόνῳ θεῶν, ψυχῶν δημιουργῶν, νοερῶν θεῶν πη-  
 γῆ, &c. plane consimilia iisdemque ferme verbis, ad Platonis Theologiam  
 tradidit. Ne antiquiorem iis Heraclitum iam aduocem, quem abstrusa quæ-  
 dam de Saturno & Rhea olim dixisse, tradit Plato in Cratylo. Accedit com-  
 munis IVLIANO cum duobus hinc Philosophis, quem putidissimis istis  
 de Deorum Matre fabulis prætexit, obtentus: antiquos scilicet, præeuntibus  
 quidem vel ducibus Diis, rerum causas indagantes, fabulis inde easdem in-  
 credilibus de industria inuoluisse: quo ex illa incredibili & absurda eorun-  
 dem natura, comperta commenti falsitas, ad inuestigationem veritatis ho-  
 mines continuo acueret. Quod vtique a duobus illis occultæ eiusdem The-  
 ologiæ inter Gentiles doctoribus, de mysticarum id genus fabularum causa  
 traditum quoque videas: Sallustio quidem dicto paullo ante libello; a Pro-  
 clo autem, ad Platonis Rempublicam. Quomodo etiam fabulas ei Theolo-  
 giæ parti, quæ circa initiationes ac mysteria versatur, τῶν τελεστικῶν καὶ μυστικῶν,  
 vti a Proclo dicto loco itidem factum, ait conuenire IVLIANVS; quæque  
 fabulæ mysticæ ab Orpheo, sanctissimorum rituum conditore, sint primum  
 posteris proditæ. A quibus etiam non abludunt, quæ e deperdito Plutarchi  
 opere adducit Eusebius; latentis nempe & occultæ Theologiæ mysteria ideo  
 illis fabulis inuoluta, vt de iis, quæ in illis silentur, maius aliquid, quam ex  
 iis quæ dicuntur, liceret cuius coniecere. Quibus autem, vt hoc addam, ali-  
 quis forte color, e Christiani Scriptoris, Dionysii nempe, de quo paullo ante,  
 & quæ alibi apud eum leguntur, verbis posset ab iis, si in ea incidissent, obten-  
 di, καὶ ᾧ ἀτεχνῶς ἡ Θεολογία τῶν ποιητικῶν ἱεροπλαστίαις, ἐπὶ τῶν  
 ἀσχηματίστων νόων ἐχρήσατο, enimvero palam Theologia Poetarum sacris  
 fictionibus, ad carentes figura mentes effingendas, usa est: & quidem, si Maximi  
 ad eundem locum glossam adeas, qua ad Gentilium Poetarum, Homeri, Hesi-  
 odi, ac similibus commenta, (quæ proinde, iuxta eundem, ibi dicuntur ποιη-  
 τικῶν ἱεροπλαστίαι) quibus symbola cœlestia sint quodammodo similia, re-  
 spexisse idem Dionysius dicitur. Verum vt incautius, sicut alia nonnulla, ab  
 eodem

cap. IV.

Orat. V. p. 165.

in Πηγῶν

Orat. V. p. 166. & 180.

Lib. V. cap. XI. p. 266.

267. Tom. II. p. 402.

cap. III. p. 172.

Orat. V. p. 216.

Præpar. Euan- gel. Lib. III. p. 83.

De cœlesti hierarchia cap. II. §. 1.

P R A E F A T I O.

eodem Dionysio dicta, aut minus vere ab antiquis eius interpretibus explana-  
 ta, nunc mittam; cui fabulosæ vel mysticæ, de qua hic agitur, Græcorum The-  
 ologiæ, Plutarchi aut aliorum adductis ea de re verbis, opponit Eusebius  
 cum Platonis ipsius, tum grauisimum in primis alterius Dionysii, illiusque  
 Gentilis, quod etiamnum apud eum legitur, de eadem iudicium; ab  
 illaque Theologia, eodem teste, valde abhorrens Romanorum institutum, &  
 quidem in his ipsis Matris Deorum apud illos sacris: utpote quæ e Romanis  
 indigenis nemo, nullaque Populi lege, nullo Senatus consulto, Phrygio ritu ce-  
 lebranda suscipiat; & quod ibidem sequitur, *adeo fabulam omnem, dignitate  
 & honestate vacuam, criminis instar auersatur.* Vnde apposite omnino  
 iisdem subdit, quod, quum pauci admodum sint, quibus ad eam, latentem  
 scilicet in illis Græcorum fabulis Philosophiam, pateat aditus; ex iis rudis &  
 imperita multitudo, vel in Deorum contemptum delabatur, vel nullum flagitiū  
 scelerisque genus, eorum exemplo, sibi deinceps cauendum putet. Immo, a  
 quo instituto, fabulis id genus ac symbolis, uti factum ab aliis ante eum fue-  
 rat, doctrinam suam vel præcepta, ceu velis quibusdam sacrorum mysteria,  
 occultandi, Aristotelem recessisse, obseruat ad eundem Simplicius. Adeo ut  
 etsi Platoni quandoque, aliisue priscis Gentilium Mythologis, illas peruulga-  
 tas Poetarum de Diis fabulas, ad prima rerum principia ac vniuersi naturam  
 referre, easque inde explanare, haud inconsulto forte instituto, quanquam va-  
 nissimo conatu, licuerit: ita eruditum liberalibus non solum, sed Christiano-  
 rum etiam, ut paullo ante diximus, doctrinis principem; immo, cui in illius  
 Religionis gremio & cultu nasci ac adolescere datum diuinitus fuerat, qui  
 veri inde vniusque Dei cognitione fuerat a prima ætate imbutus, sanctissimis-  
 que eius mysteriis initiatus; eundem tamen id adgressum, eo ingenii aciem,  
 tantaque animi contentione, intendisse, immo longius iisdem illis suis impiæ  
 & præstigiaticis, ut cum Plauto loquar, doctrinæ magistris progressum, ut ani-  
 les quasque & absurdissimas de Gentilium Diis, de illa maxime insana & furi-  
 bunda Deorum Matre nænias, noua quadam & subtili scilicet, sed vere futili  
 ineptissimaque interpretatione explanaret; quis, inquam, tacitus, ac citra iu-  
 stissimam indignationem ferat, aut tolerandum vel excusandum vllatenus sta-  
 tuat? An inde forte veniam vel laudem merebitur, quod eadem deliramenta  
 sint totidem, uti ab eo dicuntur, *τελεσιτικῆ ὑποθέσεις, mystica hypotheses*, seu,  
 ut de iisdem alibi, *ἀρρήτα μυσταγωγίας dogmata*, quæ ab Chaldæis hauserit;  
 quæque in vulgus quidem ignota, beatis autem illis *θεεργοῖς* sint demum  
 cognita; quorum etiam nomine ab illa ipsa Deum Matre, non in omnibus  
 solum de Diis dogmatibus, veritatem, sed præterea *ἐν θεεργίᾳ τελειότητα*,  
 seu in arcanis illis & effectricibus ceremoniis perfectionem, submisisse flagitat?  
 Immo prout (id enim alibi, inepte haud minus ac impie iactat) eam cum  
 vniuersis Diis, tum maxime eidem magnæ Matri, gratiam se debere agnoscit;  
 quod se in tenebris vagante, abscisis a se omnibus prauis animi motibus &  
 cupiditatibus, eam in mentem eius lucem immiserit eadem Dea, quæ a vera  
 non solum, sed arcana & religiosa de Diis scientia penitus non abhorreat. Vn-  
 de haud mirum, si alibi, quod antea obiter adtigi, se longius diuino illo suo  
 Platone, in sapientia ac rerum sublimium cognitione, progressum haud dissimu-  
 let, sed aperte profiteatur: si & alio rursus loco, Aristotelica & Platonica etiam  
 decreta,

Prep. Es-  
 ang. Lib. II.  
 p. 77.  
 Antiq. Lib.  
 II p. 90. &c.

καὶ πέντα  
 ὑπὸ τῶν  
 μῦθων ἢ μὴ  
 διὰ τὴν ἐπι-  
 πρῆξιν  
 π. 91.

ὁ μὲν μὴ  
 τοῖς, οἱ δὲ  
 συμβόλοις  
 αὐτῶν ἀπέ-  
 κρυφον &c.  
 Simplicius  
 Prolegom.  
 Prædic. p. 2.

Orat. IV.  
 p. 148.  
 Orat. V.  
 p. 172.

Orat. V.  
 p. 174.

Orat. IV.  
 p. 152.  
 Orat. V.  
 p. 162.

P R A E F A T I O.

decreta, etsi simul iuncta, nisi editis diuinitus Oraculis accedant, absoluta esse non posse statuat: vnde denique, quæ Græcis sunt obscuriora, tradi a se adferat: quibus tamen, ne ea nempe in profanum vulgus temere efferantur, sed vt grande aliquid Deorum arcanum, in penitiori illustratæ diuinitus mentis suæ recessu reconditum maneat, sibi non immorandum credit. Quo loco illud hic mihi satis opportune, vt opinor, occurrit, quod de quodam mysticæ illius ac diuiniore scilicet Theologiæ, ac eadem illa ætate, candidato, Antonino Sosipatræ filio, refert Eunapius: *quotquot nempe, vt Græca eius ea de re verba nunc omittam, ad eius colloquium admisi, problema aliquod ratione fultum proponebant, Platonica doctrina copiose & sincere ab eo fuisse expletos; quum vero altiora quadam de rebus diuinis sciscitarentur, eos tum in mutam velut statuam incurrisse: usque adeo ille nullo eos verbo dignabatur, sed immotis sublatisque in cælum oculis, quasi orbatus sensibus iacuerit: neque quenquam vidisse illum in eiusmodi disceptationes descendentem.* Ne ea iam adtingam, quæ in duabus hisce Orationibus leguntur, non e recentibus adeo *θεεργοις*, seu sublimioris scilicet Theologiæ mystis, quam ex antiquis Philosophorum placitis, sed perperam itidem, vel petita, vel detorta. Cuiusmodi illud de materia ab æterno a Diis existente: quod a Platone quidem traditum, sed ita vt eandem materiam summo Deo neutiquam putaret coæternam, agnoscunt posteriores Platonici: aut explosum illud a toto recentiorum, etsi haud in vnâ ii scindantur sectam, Philosophorum grege, Peripateticorum de *formis*, quod aiunt, *substantialibus* triuiale dogma: quæque sint non materiæ solum seu corporis expertes, sed etiam, de quo silent iidem Peripatetici, intelligentes, ac penes Solem resideant, eiusque opera existant & conseruentur. Adde, quod is in alia quadam tangit Epistola, de pluribus hominibus, simul a primo mundi ortu, non vero de vno solum, a Deo procreatis, & quod alibi sit pluribus ostensurus. De mundi quidem hominisq, ad imaginem Dei geniti opificio, a Mose diuinitus tradita, quibus autem nonnulla tantum opponit Platonis de hoc argumento dicta, alibi mulierem ex Adamo creatam, refert ac iugillat in libris de quibus iam non agimus, aduersus Religionem Christianam scriptis, seu in iis Excerptis, quæ inde adducit ac refellit in opere, quod hic itidem prostat, Cyrillus. Sed quid aliud ab eiusdem Religionis Deserto expectes? aut quis esset huius impietatem ac ineptias redarguendi finis, vbi illum a veræ & germanæ sapientiæ cultu abducit insana Christianorum doctrinam sacrosque eorum libros insectandi libido?

Neque tamen eadem illæ duæ in Solem ac in Deorum Matrem Orationes, in quibus exstat illa vanissima, quam modo adtigi, reconditæ cuiusdam & mysticæ Gentilis Theologiæ ostentatio, omnibus sanioris alicuius doctrinæ notis penitus destituuntur. In iis enim legas: non aliud esse Dei substantiam, aliud vim, aut tertiam insuper actionem: quippe omnia quæcunque vult, ea esse, & posse, & efficere: Deum omnibus excellere, circa quem, & cuius gratia sint vniuersa: animæ ad salutem obtinendam longe conducibilius, si maiorem suimet ipsius, quam salubritatis corporis curam gerat: eadem anima, quum se totam Diis (Deo dixisset) dederit, luateque omnia iis regenda permiserit, succedente castimonia, ac præcedentibus diuinis legibus, diuinam ei lucem adfulgere: qualia forte, tanquam gemmæ in luto illo ac in tenebris micantes sub-

Orat. IV.  
p. 146.

Orat. V. p.  
172.

in Aedesio,  
p. 77.

Orat. V.  
p. 170.

Bessario  
Cardin.  
Lib. II. c. V.  
Orat. IV. p.  
140. 141.

Fragm. E.  
pist. p. 297.  
292.

Lib. II. pag.  
49. 57. 58.

Orat. IV. p.  
142.

Ibid. p. 136.

Orat. V. p.  
180.

P R A E F A T I O.

inde, in lectoris animos incurrent. Quo referas etiam alia in reliquis eius operibus obuia: sicuti leges animis nostris esse inscriptas, per quas omnibus sine magistro sit persuasum, numen aliquod esse diuinum, ad quod sit respiciendum & contendendum: immo eos omnes, qui interrogant, aut utcunque disputant, vtrum sint Dei, (abesset hic impia plurium enumeratio!) non responso, vt homines, sed vt bestias poena prosequendos: veras autem de Deo opiniones suscipere, non perfectæ solum virtutis, sed eiusmodi esse, vt dubitari possit, vir ille, an Deus (nempe Deo proximus) sit appellandus. Adde, quæ eidem IULIANO, e Religionis illius, quam deseruerat & inlectabatur, doctrinis, diuinisque, quæ versauerat, & quibus dein illudebat, oraculis, adhuc videntur insedisse: Deum nempe tantum gaudere piorum hominum mente, quantum purissimo cœlo: cogitationes nostras a Deo excitari, quando mens ad ipsum conuersa, secum ipsa primum, & per se solam, cum Deo consuetudinem habet, ac a nullo distinctur: & quæ aurea omnino, Christianum adhuc anagnosten, non Gentilem desertorem, sapiunt, vt *bonorum omnium reuera maximum pietas & religio, sic contra maximum malorum impietas: alibi, breue tempus bene & innocenter actum, peccanti immortalitati anteponendum*: alio autem loco, *becatombas* (quibus tamen ille, vt aliunde constat, ad insaniam vsque erat deditus) *cum sanctitate nequam esse conferendas: quæcunque enim cum sanctitate* (vtinam non *Diis* denuo, sed *Deo* dixisset) *offeruntur, seu parua seu magna, tantidem apud illos haberi; remota vero sanctitate, non solum becatomben, sed chiliomben etiam Olympiacam, nihil præter inanes sumptus esse.* Quibus consentanea alibi rursus dicit, *fieri non posse, vt, qui se diuino numini permiserit, neglectui prorsus habeatur, penitusque deseratur*: ac illa denique non tam Chaldaica, aut Hermetica, aut vero Platonica, quam Christiani fiducia, *magnas post obitum spes hominibus a Deo ostendi, quibus omnino fides sit habenda.*

Quam præclara itidem, in hisce eiusdem Principis operibus, passim velut pulcherrimis sententiarum luminibus collustrata, quæ ad morum doctrinam, vitamque ad rectæ rationis ac virtutis normam rite instituendam, excitant ac impellunt! Hinc illa, ab initio ferme totius operis, antiquæ legis mentio, a primis Philosophiæ auctoribus latæ: debere omnes & in omnibus magnis & parvis, dictis factisque, ad virtutem ac honestatem, quæ, vt alibi id tangit, omnium rerum extremum sit ideo a priscis Sapientibus dicta, respicere: virtutem esse rerum omnium honestissimam, eamque perpetuo retinendam: omnes proinde actiones ad eam esse referendas: rectam vtique doctrinam, non verborum esse & linguæ magnificum quendam sonum, sed mentis bene constitutæ adfectionem, verasque ac certas de bonis & malis, honestis ac turpibus, sententias. Hinc, vt pauca adhuc e multis tangam, nullatenus in rebus externis, diuitiis, genere, amicis, quærendam esse felicitatem: Philosophiæ principium ac finem vnicum esse, de quo obiter paullo ante, & scriptus fuerat haud ita pridem a Porphyrio liber, illud ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, *se ipsum nosse*: id quod nihil aliud ab antiquis & genuinis Cynicis æque ac Stoicis sit habitum, quam accurate perdiscere, quid animo, quid corpori tribuendum: incumbere in studium virtutis, temperantiæ, modestiæ, libertatis, ab omni inuidia ac superstitione liberæ; finem autem, Deo similem fieri. Ideo præclare ait alicubi, quod mul-

Orat. VII. p. 209.

Epist. p. 237.

Epist. ad Theophrast. p. 265.

Orat. VIII. p. 249.

Epist. LII. p. 438.

Epist. XVII. p. 385.

Orat. VII. p. 215.

Orat. VIII. p. 249.

Fragm. Epist. p. 298.

Orat. I. p. 3.

Epist. XXX. p. 404.

Epist. XLII. p. 422.

Orat. VI. p. 194.

Orat. VII. p. 185.

vid. Stobæi Eclog. p. 184.

P R A E F A T I O.

multarum rerum scientia mentem non conferat; nec infiniti libri eam in rem sint peruoluendi: item, non adeo, quod plerisque bona vel mala videantur, eadem agenda esse vel omittenda, sed quatenus sunt rationi ac menti a Deo nobis inditæ consentanea vel aduersa: omnes omnino ex animo perturbationes eiiciendas, ac e recto rationis præscripto omnia peragenda: nihil turpius, nihil ab homine, cuius anima sit pars diuinior, magis alienum, immo præstare illum in Charybdim, Cocytum, ac decem sub terra vlnarum millia præcipitari, quam in illud vitæ genus delabi, quod ventri, quod libidini seruiat. Quam eximia vero sunt, quæ de beneficentia, de qua paullo post dicendi erit locus, in quosuis egenos aut peregrinos præstanda; aut vero alibi de temperantia, & quibus in rebus sit sita, disserit! Deo nempe & legibus seruire; æquo iure cum æqualibus viuere; si qua in re excellas, moderate id ferre; curare ac providere, ne pauperes a diuitibus opprimantur; iniurias, inimicitias, contumelias leuiter ferre; abstinere ab omni voluptate, & quidem, (vt præclare adhuc, immo quod Christianum rursus, & ex integrioribus quidem, non vero Apostatam redolet) quæ neque admodum turpis, neque inhonesta etiam videatur; non posse esse domi temperantem, si foris sit dissolutus, & theatris ac Circensibus delectetur. Adde, quod maius est ac omni laude dignum, quas temperantiæ leges, tanquam non priuatis solum, sed sibi, etsi vni tum rerum in orbe Romano potienti, præscriptas, seu ad quas ipse se adstringeret, ibidem tangit: qui & alibi haud semel de principum, imple secundi tum in orbe, aut etiam primi iam fastigii compos, officiis accurate disserit: qui Decessorem suum, sed tum adhuc superstitem, Constantium nempe, laudat, cui quum in leges ipsas potestas sit data, quasi ciuium quispiam se legibus tamen subiectum gerat: qui actiones omnes ad virtutem refert: qui de iis inde, seu ex adfectionibus, quibus sit princeps ad res gerendas impulsus, non ex euentu, etsi prospero, iudicandum docet: qui admirabilis temperantiæ, & continentiæ, ac ad aliorum exemplum, laude excellit. Adde, dum ipse earundem virtutum non præco solum, sed imitator summus existit: qui sibi met, vbi terrarum imperio præesse inceperat, tria illa velut a Numine præscripta memorat, pietatem erga Deos, (vtinam rursus erga vnum ac verum Deum) aduersus amicos fidem, erga sibi subiectos humanitatem. Immo quam vere sortis illius suæ, ad quam fuerat euectus, intelligentem, in Epistola ad Themistium, vti obiter id supra iam attingi, se prodit! dum maius quiddam, quam pro humano captu, onus imperandi, post Aristotelem, ac inde diuiniore natura Imperatori opus esse, agnoscit: dum, quale certamen sibi sit obeundum, docet: quanto apparatu, qua prudentia opus, vt inclinationes vicissitudinesque fortunæ, quæ in vtramque partem accedunt, vti ventorum gubernator, honeste ac decore sustineat. Quam præclara sunt insuper in eius Cæsaribus harum rerum præcepta, vel exempla! Quam in singulis ferme verbis, in iis maxime, quas magnis illis Heroibus, Alexandro, Cæsari, Augusto, Traiano, Marco Aurelio, Constantino tribuit, concionibus, sed quæ non indiligenter dudum expendimus, cum illius, quæ vitam ad virtutis ac honesti tramitem deducit; tum alterius, qua ciuilibus ac militaris imperiorum ad ministratio continetur, scientiæ expressa sunt, & ad viuum quidem, simulacra!

Insignem vero, quæ vel ad historiæ illius æui, vel ad antiquiorum rituum

*Orat. VI.  
p. 187.*

*Orat. VI.  
p. 196.*

*Ibid. p. 198.*

*Fragm. Epist. p. 290.  
Misopog.  
p. 343.*

*Orat. I.  
p. 45.*

*Ibid. p. 41.*

*Orat. VII.  
p. 233.*

*pag. 260.*

*Ibid. p. 254.*

P R A E F A T I O.

tuum, quæ ex hisce IVLIANI lucubrationibus percipitur, notitiam respicit, seu utilitatem, seu laudem in Præfatione iisdem præmissa, quæ hic etiam legitur, dedita opera commemoravit doctissimus Petavius: ut vel inde, quod ille ibi quoque intendit, commendatio haud vulgaris iisdem illis operibus accederet. Constat equidem, historiam illius ætatis, qua Constantinus, ac dein Constantius, orbi Romano præfuerunt, multa adhuc caligine, maxime quoad res pace aut bello, domi aut foris gestas, esse inuolutam; eamque nobis demum cognitam, aut e Christianis Scriptoribus, qui florentis tum primum Ecclesiæ annales, vel fastos temporum, ad posteros transmissere: aut e Gentilibus, qui summa tantum capita compendiaris quibusdam libellis sunt complexi, vel Orationibus ad pompam editis, pauca itidem, ac declamatorum potius quam historicorum fide ac ritu, adtigere; si duos ex eorundem Gentilium numero excipias, Ammianum Marcellinum ac Zosimum. Verum ea illius, seu Ammiani, quæ hodie superest, historia, cuius nempe maior pars grauisimo litterarum damno periit, a fine Magnentiani belli, ac proinde ab anno, quo solus imperavit Constantius, decimo septimo, initium demum ducit: Zosimus autem, acerrimo in Religionem Christianam odio, duobus illis principibus, Constantino & Constantio, uti postea magno etiam Theodosio, infestus; ac præterea proprio quodam suo instituto, multa vel præterit, vel dissimulat, vel confundit: quod cum aliunde, tum ex hoc ipso, ut mox dicetur, IVLIANO, tum ex instituta earundem rerum, seu illius temporis, cuius uterque historiam persequitur, cum Ammiano collatione, abunde quivis intelligit. Adeo ut haud aliunde certius percipi, vel suppleri opportunius ea, in quibus iidem Auctores deficiunt, vel inter se non prorsus consentiunt, nunc possint; quam ex aliis, sinceris, maxime autem quæ eadem ætate, ab iisque, qui illa videre vel ipsi gesserunt, sunt litteris prodita, monumentis. Unde IVLIANI huius primordia, ad tempus illud, quo Cæsar est a Constantio nuncupatus; vel quæ ab ipso Constantio, ab eius, ut itidem dicam, ortu, ad Magnentiani belli finem, aut sub eius auspiciis sunt gesta; nemo utique nos ipso IVLIANO certius hodie ac vberius edocet. Ex iis enim duabus Orationibus, quibus Principis illius, a quo recens ad imperii consortium fuerat adscitus, laudes & facta, prout utriusque lemma præfert, celebrare instituit, & quæ in hisce IVLIANI operibus agmen ducunt, multa, de quibus silent alii Auctores, discimus: eundem nempe Constantium in Illyrico natum; provida parentis cura, in optimis quibusque cum corporis tum animi exercitationibus institutum; in campestribus maxime, iisque cum equestribus tum pedestribus meditationibus, singulari cum industria versatum; in civili disciplina, sub optimis ea ætate magistris, eruditum; summa eundem fuisse in patrem, cum superstitem tum fato functum, pietate; eo autem mortuo, castrensem tumultum ab ipso compositum; mox eundem in Orientem contra Persas, qua expeditione ultra Tigrim repressi iidem fuerint, profectum. Accedit hisce accurata Magnentiani belli historia, quæ, ut in Observationibus ad eandem nostris vidimus & expendimus, quam confusa, manca, & contrariis etiam narrationibus, ab illius aut proximi aui Scriptoribus sit tradita, ex hisce demum Orationibus, quæ biennio circiter a confecto eodem bello sunt conditæ, certior haud parum ac plenior eruitur: ac inter alia, de classe, quæ ex Italia ob Magnentii saevitiam profugos veheret, a Constantio excepta: de eodem Magnentio,

P R A E F A T I O.

tio, post cladem ad Mursam, in præruptis Italiae ad Aquileiam, non, iuxta Aurelium Victorem, circa Ticinum, hærente; aliaque eiusdem, dum in ea vrbe ludis vacaret equestribus, seu exercitus eius clade. Adde classem, nauibus ad eam instruendam ex Aegypto & Italia comparatis, Carthaginem ab eodem Constantio missam; ac eius auspiciis debellatos Pyrenæi, misso illic nauibus exercitu, saltus. In rebus autem ab eodem Constantio contra Persas gestis, singularis occurrit cum illius ad Singaram prælii, etsi Romanis minus prosperi, ac inde non sincera adeo fide, quod nec dissimulauimus, ab hoc Oratore traditi narratio; tum memoranda maxime feliciore exitu terminatae Nisibenæ obsidionis historia. Quam equidem, Constantio quippe Romanoque nomini gloriosam, ea haud vulgaris elegantiae & accuratationis laude, in utroque illo eiusdem Augusti sui que patruelis Panegyrico, persequutus est IULIANVS; vt haud immerito Zosimum, quod iam viderunt alii, ab eadem diligentius Lib. III. c. X. enarranda, deterruerit. Mitto hic, quæ de portu Seleuciensi, ad Pieriæ nempe in Syria Seleuciam, & quidem ad ipsius Antiochiæ commoda & vtilitatem, exstructo; porticibus præterea, fontibus, in illa Orientis Metropoli erectis; aut vero absolutis Regiæ Constantinopoleos muris, stabilitisque plurimis eiusdem vrbs ædificiis, in eadem priori Oratione, traduntur; de quibus, præter vnum vel alterum, qui conditi illius Seleuciensis portus meminere, silent ferme, qui res Constantii aut origines earundem vrbsium adtigerunt, Scriptores. Ne iam ea tangam, quæ veris in probra laudibus, de singulari eiusdem Constantii in se, quamquam patruelem, totamque propinquitatem sæuitia, seu consobrinatorum, patris præterea patruisque, cæde, alibi, quorum singulorum ratio haud satis erat aliunde nota vel explicata, ac aperte in Epistola ad Athenienses, & quidem superstitè adhuc Constantio, memorat: aut eodem mortuo, obiter in Cæsaribus tangit.

Si vero ad IULIANVM ipsum oculos conuertimus, haud aliunde vtique plura vel certiora de eius ortu, patria, prima institutione, pædagogo, præceptoribus, studiis, varioque eorum cursu, haud vno, in quo priuatus adhuc egit aut delituit, loco, toto denique vitæ cultu & instituto, quam ex his ipsis eius ingenii monumentis, petere dabitur ac haurire. Inde vtique, vt ea tantum ac obiter, quæ de eo vix aliunde constant, referam; natum illum in Thracia, seu, vt apertius alibi testatur, Constantinopoli, *in qua natus sit, altus, & educatus*, ac primo quidem, quæ paucis post mensibus interiit, matris partu: septennem eum, Eunuchi postea, vt aliunde constat, Mardonii dicti, qui sub auo eius fuerat educatus, vt eidem matri Homeri atque Hesiodi poemata exponeret, curæ commissum: ab eo se ad præceptores in scholas deductum: quem autem Mardonium, gente quidem barbarum seu Scytham, vt vitæ principem morumque auctorem habuerit: quique eum puerum etiamnum, ab omni theatrorum aut scenæ spectaculo abductum, ad verum sapientiae, temperantiae, aliarumque virtutum cultum traduxerit; intelligimus. Factum dein vt cum Gallo fratre, qui erat ab exilio reuocatus, ipse autem e scholis abstractus, in quendam Cappadociae agrum fuerit ablegatus; vbi nemini æqualium, familiarium, aut hospiti cuiquam vel peregrino, patebat ad eos aditus; vbi honestis artibus ac studiis etiam interclusi, per sex annos, & quidem in alieno fundo, fuerunt educati. Inde fratre Gallo in Regiam delato, ac dein Cæsaris dignita-

vid. Or. III.  
Epist. ad  
Athenienses.  
& Misopogonem.

Ep. LVIII  
p. 443.  
Amnian.  
Marcell.  
Lib. XXV.  
c. p. III.  
Misopog.  
p. 352.

Epist. ad Athenienses.  
p. 271.



P R A E F A T I O.

*ibid. p. 272.* gnitate aucto, & post quadriennium, ut aliunde constat, iussu Constantii caeso, (de qua caede, ut praeter omnem iuris ordinem patrata, grauer ipse conqueritur) ubi per septem menses huc illuc fuisset raptatus, atque in custodiam datus, aegre inde euadens, periculis iis tandem praeter spem ereptus, maternam se in domum receperit; quum paternorum quidem bonorum nihil ad se, cuius quippe haereditatem omnem adierat Constantius, retulisset. Cui postremo equidem facto parum consentanea alibi protulerat; ubi domum suam ac familiam, quasi in solitudine, a parentum nempe obitu relictam e potentium manibus a Constantio liberatam, inque pristinas opes restitutam, tradit. Id quod *Orat. III. p. 118.* alio rursus loco, ac mortuo iam Constantio, adserit; integram nempe auiæ haereditatem, quæ ab aliis per vim fuerat occupata, saluam a se recuperatam. Inde *Fragm. E. p. 290.* autem, seu e materna domo, ob sparsos nouarum rerum vicinis in locis rumores, seu, ut ipsemet alibi ea de re ait, commoto in illum, nescio quas ob suspiciones, Constantio, aegre tandem ab Eusebia Augusta perductum ad Principis conspectum, impetrata dicendi facultate, se se illic ab omni crimine purgasse. Vnde concessa eidem domum redeundi licentia, eaque mox daemones alicuius malevolentia, aut insolito casu, illi adempta, eum in Græciam proficiscendi & quidem Athenas, ad capiendum ibi maiorem ingenii & doctrinarum cultum, eiusdem Augustæ precibus, facultatem obtinuisse. Ibi vero quum *Epist. ad Athen. p. 274.* Constantio, eum e Græcia, post semestris in eadem moram, reuocanti, paruisset, atque in Mediolani suburbio hæssisset aliquamdiu; inde se, rursus *Orat. III. p. 118.* Eusebiæ Augustæ potissimum suasu, nocturnisque praeterea Deorum monitis, inductum, ne oblatam sibi ab Imperatore Caesaris dignitatem recusaret: eaque ratione factum, ut vestem, comitatum, (quem e quatuor seruulis, vnoque ex iis susceptæ a se erga Deos pietatis, ut ille ait, immo foedisimæ in vnum verum Deum impietatis, conscio, constituisse idem tradit) victum, & habitationem commutaret, ac paullo post Imperatoris sororem in uxorem duceret. Quæ singula cum in Oratione, qua illius Eusebiæ laudes est complexus, tum in Epistola ad Athenienses, ac praeterea in Misopogone, ab eodem IULIANO enarrata reperiet Lector. Vnde etiam intelliget, quam exiguo cum comitatu, trecentorum nempe & sexaginta militum, ad quæ discrimina obeunda sit mox a Constantio in Galliam missus; quæ pericula ei primum fuerint subeunda; quæ res dein ibi feliciter simul ac fortiter contra Barbaros gesserit; quoties Rhenum traiecerit; quot Germanorum oppida ceperit; quot captiuorum millia abduxerit; quot proeliis decertarit; quam inuitus ad Augustum culmen fuerit ab exercitu, & qua occasione, euectus; qua ratione se postea erga Constantium gesserit; quomodo se in Epistolis dein ad eum scriptis, ab *Augusti* appellatione, solo *Caesaris* nomine contentus, abstinuerit; supplicesque ad illum, totius exercitus nomine, pro mutua inter eos concordia, litteras dederit. Quibus omnibus a Constantio reiectis, concitatisque aduersus IULIANVM Barbaris, & missis ad eum quodam Galliae Episcopo Epicteto, qui ei de salute tantum, non vero de dignitate, fidem daret; adactum se tandem, ut delatum sibi, & qui ad amicorum salutem pertineret, honorem tueretur; non adeo pro sua salute, sed pro utilitate Reipublicæ, & communi omnium, ac praesertim Gallicanae gentis, libertate. Adde, eundem sustulisse ex Helena uxore liberos, neque eosdem omnes immaturo partu, aut vix natos; Euse-

P R A E F A T I O.

Eusebiæ Constantii vxoris fraude, periisse, (quod tamen ex Ammiani Marcelli-  
 ni verbis, & ex aliorum Auctorum de iis post partum superstitionibus silentio  
 liceret colligere) clarissime liquere ex ipsius IULIANI, in Epistola, quæ hic  
 legitur, ad Iamblichum, verbis; in quibus *ἡ τροφὴ τῶν ἐμαυτῶν παιδῶν*,  
*educatoris meorum liberorum*, fit ab eo mentio.

Lib. XVI  
 cap. X.

Epist. XL  
 p. 47.

Quot autem & qualia, e liberalium disciplinarum ac eruditæ antiqui-  
 tatis penu, vel adiumenta doctrinæ, vel orationis lumina, accedant in hisce  
 IULIANI operibus, haud difficulter ex iis, quæ de summo illius Princi-  
 pis ingenio, & singulari in optimis artibus a teneris institutione, & incredibi-  
 li discendi contentione diximus, licet statuere. Etsi enim ipse alicubi illarum  
 optimarum artium studia, non contemnenda quidem dicat, sed ita vt demum  
 occasionis sint loco, omnis autem labor in Platonicis ac Aristotelicis dogma-  
 tibus enucleandis collocetur: alibi etiam, satius suæque, Pontificis nempe  
 Maximi, dignitati magis consentaneum doceat, vni studere Philosophiæ, ma-  
 xime quæ Deos disciplinæ suæ auctores ferret, Pythagoram, Platonem, Ari-  
 stotelis sectam aut Zenonis: quam flagrantiam ardore, & assidua consue-  
 tudine in tractandos priscae memoriæ, quique aliis in artibus ac doctrinis ver-  
 santur, Auctores incubuerit, satis superque in his ipsis insignibus ingenii indu-  
 striæque suæ monumentis comprobauit. Hinc vix frequentius in iisdem oc-  
 current illi ipsi, modo memorati, Plato, Aristoteles; quam vel is, e quo omnes  
 scientiarum fontes veteres hauriebant, Homerus, ac subinde Hippocrates, He-  
 rodotus, Thucydides, Plutarchus, Hipparchus quoque & Ptolemæus, vel fa-  
 bularum conditor Aesopus, aut rursus e veterum poetarum classe, Hesiodus,  
 Anacreon, Sappho, Simonides, Archilochus, Sophocles, Euripides, Oenoma-  
 us, Aristophanes, Callimachus: quorum nempe testimoniis, quasi totidem  
 flosculis, conspersa sunt & ornata hæc eius opera, ac vnde etiam illis haud le-  
 vis gratia ac lepos continuo accedit. Adeo, vt quamquam Sacerdoti, & qua  
 lege se ipsemet, tanquam, vt modo dicebam, Pontifex Maximus, illigat, ne-  
 que Archilochum, neque Hipponactem, neque antiquioris Comœdiæ scri-  
 ptorem quempiam, ob illiberales nempe eorum aut contumeliosos iocos, vel  
 mordax carmen, aut vero, qui amatoriam poesin excoluerant, legendos de-  
 cernat: quam parum tamen se eidem decreto adstrinxerit, cum aliunde ex  
 his eius lucubrationibus, vbi cum Archilochi, cum Comœcorum id genus ac  
 Poetarum, quos modo adtigi, dictis haud semel nititur; tum e Cæsaribus  
 maxime, vt ad eosdem iam olim vidimus, & e Misopogone, qui non salibus  
 solum & iocis sunt conditi, sed aculeatis etiam & quibusuis Hipponactis vel  
 Archilochi Iambis mordacioribus dieteriis abundant, fiet cuius manifestum.  
 Vt haud immerito dicatur a Cyrillo in Libris aduersus eum scriptis, quod *ma-  
 gnae variaeque eruditionis famam studiose venetur*. Vnde præter insignia inde  
 orationis lumina vel ornamenta, quibus hæc ipsa IULIANI opera passim  
 collustrantur; plurima ex illa ipsa locuplete veterum Auctorum penu, quæ ad  
 antiquos variarum gentium, qua sacros qua profanos, ritus adtinent, eruun-  
 tur demum, aut vberius elucidantur. Ita de tempore SOLI INVICTO  
 dicati apud Romanos festi, ludorumque solemnium, qui nempe ante Kalen-  
 das Ianuarias, Sole Capricornum iam ingresso, & statim a finitis Saturnalibus,  
 editoque postremo gladiatorum vel bestiariarum munere celebrarentur, quæ

Epist. LV  
 p. 44.

Fragm. E-  
 pistol. p. 200.

Fragm. E-  
 pist. p. 300.

297 πλο-  
 μαθίας  
 ἀρτίων θη-  
 γῶν δει-  
 νῶν, Lib. IX  
 p. 298.

Or. IV. p. 13.

P R A E F A T I O.

que eorum ratio fuerit, luculenter demum ex eius in eundem Solem Oratione nobis constat; deque iis proinde omnino intelligendum, ut bene monuit Petavius, ac nouissime eruditissimus Pagi, id quod in veteri urbis Calendario ea de re in Decembri signatur, & quidem ad VIII. Kalend. Ianuar. IV. *Inuicti CM XXXX.* ac prout SOLI INVICTO, aut SOLI INVICTO COMITI, in Romanis Constantini etiam nummis legitur: non vero, ut visum est Lambecio ad ea Calendarii verba, aliisue nonnullis eruditis, qui eadem ad ipsum Constantinum, vel Constantium, quorum hic vel ille INVICTVS sit tum dictus, sibi referenda existimarunt. N. proinde seu *Natalis inuicti Solis* ibidem signatur; sicut in aliis eiusdem annui Calendarii diebus, *Natali Mineruae*, aut similiter *N. Martis*, aut *N. Mercurii*, aut *N. Musarum* &c. legitur. In quibus autem IVLIANI, ut obiter hoc addam, ea de re verbis, glossema in voce *μῆνα*, librorum culpa, ibi intrusum, vere quoque, si quid video, coniecit Petavius: e Vossiano etiam Codice, in quo postrema hæc Oratio in Solem & prior sequentis in Matrem Deum pars deficit, nullum inde eluendo huic mendo subsidium nobis adfuit. Quæ vero paucis ideo præmonenda hic duximus, dum prodeant nostra in eandem Orationem, aliasque huius Imperatoris commentationes, adnotata; & quod in eruditissimis ad Lactantium de Mortibus persecutorum Notis, se ad ea, quæ de illo IVLIANI loco ad eundem sumus quandoque dicturi, pro solita eius in nos humanitate, referat illustri eruditione, candore autem singulari, Cuperus. Idem vero IVLIANVS in sacro Matri Deum Hymno, de statibus eiusdem apud Romanos sacris, totoque illorum instituto, vel apparatu differit; de sacra arbore, primo die excisa; altera die, de tubarum clangore; tertia, de mystica & arcana Dei Galli messe; ac sequutis deinde, uti Romani eadem vocarunt, HILARIBVS. Quæ singula itidem, iisque, quibus eadem Romæ peragebantur, diebus notantur in eodem veteri urbis Calendario; nempe ad XI. Kalend. April. *Arbor Intrat.* X autem ad dictas Kalend. *Tubilustrium*; IX. *Sanguen*; & VIII. *Hilaria*. Vnde facta insuper in illa Oratione mentio, quo tempore, & cur verno potius, (uti itidem a Sallustio Philosopho in libello de Diis & Mundo, qui id inde hausit, factum videas) quam in autumnali æquinoctio illa Matris Deum sacra fuerint celebrata: quibus cibus, & qua de causa, vetitum in iisdem vesci, nempe leguminibus, punicis, malis, palmæ dactylis, piscibus, porco: ac vnde obiter etiam tangit, quod in sacris Romanorum aut Græcorum mysticis, nempe non honorariis, ut eadem vocat, pisces subinde, aut vero equum vel canem, seu parum vsitata alioquin animantia, matrare fuerit concessum. Adde, eandem castimoniam in Mineruæ, quæ in illis Magnæ Matris, & quæ eius rei fuerit ratio, sacris seruatam: aut quod alibi obseruat, quandam Callixenam, duplici sacerdotio, eiusdem nempe Deæ Phrygiæ in Pessinunte, & Cereris, ornatam. Qua occasione quoque, bina Atheniensium mysteria, Parua & Magna, diuersumque, quo eadem peragebantur anni tempus, in illa Oratione commemorat. Accedit hisce, id quod de igne Veltali, ubi fuerat extinctus, e Sole iterum excitari apud Romanos solito, (qua de re agimus in nostra de Vesta Græcorum Diatriba, nouissime denuo vulgata) alibi traditur. Quo referre etiam licet, quod Antiochenes in conuiuia Maiumæ pecuniam effundere solitos, alio loco obseruat; ac vnde consueta luxuria agitata adhuc procax illud a Christianis eiusdem urbis incolis

Critic. Baron. A. C. CCCVI. p. 49

Bibl. Vindeb. App. Lib. IV.

p. 300. Baluz. Not. ad Lactant. de M. P. p. 61

p. 194.

Orat. V. p. 168.

Ibid. p. 172. cap. V.

Orat. V. p. 176.

Ibid. p. 178.

Epist. XXI. p. 389.

Or. V. p. 173.

Orat. IV. p. 155.

Misopog. p. 362.

P R A E F A T I O.

colis festum liquet: cuius, tanquam primo ab Imperatore Arcadio; sed ita  
 ut verecundia ac honestas in eodem seruetur, retenti, dein alia lege aboli-  
 ti, fit in Codice Theodosiano, ac prioris quidem legis in Iustiniano etiam,  
 Ita celebratas meminit apud eosdem Antiochenses cum proprias  
 eorum, seu Syrorum, nempe ineuntis anni Kalendas; quæ, ut aliunde constat,  
 non a Dio quidem seu Nouembri, sicut ad Ammianum de eo IULIANI  
 loco agens notauit doctissimus Valesius, sed ab Hyperberetæo seu ab Octo-  
 bri, quod ex Euagrio monuerant iam alii, auspiciabantur; tum eas tangit ne-  
 omenias, quæ prima Ianuarii die, *communis* in orbe Romano *festi*, vnde eius-  
 dem ritus seu celebritas elucet, nomine ab eo appellantur; solemnem denique,  
 quæ III Nonas eius mensis peragebatur, pro salute Imperatoris, *Votorum*  
*Nuncupationem*, de qua in nostris ad primam huius Imperatoris Orationem  
 adnotatis, hic in calce additis, a nobis agitur. Adde memorabilem alibi, nem-  
 pe in Oratione de Sole, locum; vbi præter Romanos & Aegyptios, qui ad  
 Solis cursum annos & dies metirentur, reliquas omnes, ut ita dicat, nationes,  
 lunares menses suo æuo vsurpare obseruat; quod tamen (ut vnum hoc & obi-  
 ter ea de re hic tangam) de plerisque Græcorum, non vero de plurimis alia-  
 rum gentium ciuitatibus, quæ ad Solem menses suo tempore numerarent, no-  
 tat Galenus. Quomodo insuper tangit ibidem IULIANVS, quod anni ini-  
 tium alii ab æquinoctio verno; nempe, prout id aliunde constat, Arabes &  
 Damasceni; quidam ab æstate media, sicut Athenienses; plerique autem ab  
 inclinante iam autumno, Macedones scilicet, Syri, Asiatici; Romani vero, a  
 bruma; reddita etiam ab eo singulorum ratione, quæ iam hic non expe-  
 dimus, nec id huius loci, repetant. Quid iam dicam, ut alicubi id notat,  
 præstitutos apud Romanos, quibus intra templi septa eorum sacerdotes sacra  
 sibi obeunda peragerent, triginta dies? aut quæ in genere Gentilium sacerdo-  
 tibus præstanda ibidem docet? quæ denique prouinciæ alicuius Pontificibus,  
 in reliquos illius Regionis sacerdotes, iura incumberent? quod ex lacera pri-  
 us & mutila, a nobis autem e priscis codicibus emendata, ad Theodorum  
 quendam Pontificem Epistola, nunc liquet. Neque alibi forte obuia, quæ  
 de Templorum apud eosdem Gentiles fabrica; quorum, sicut mactatæ in iis-  
 dem hecatombæ, ita alia fuerint *ἑκατοντάπεδα*, seu *centum pedes magna*,  
 quale nempe Mineruæ templum Athenis in arce existisse, e Plutarcho liquet,  
 & priscis Grammaticis; & Aræ etiam *ἑκατοννηπίδες*, cum *centena basi*: aut ve-  
 ro quod e Deorum hymnis, plerique ab ipsis Diis, qui accuratis prius eam in  
 rem precibus fuerant exorati; pauci vero ab hominibus diuino spiritu adflatis  
 sint profecti. Adde simulacrorum præscriptum quidem a maioribus cultum,  
 sed ita, prout a superstizioso alioquin ac impio Deorum cultore dicitur, *ὅτι*  
*ἵνα ἐκεῖναι θεοὺς νομίζομεν, ἀλλ' ἵνα δι' αὐτῶν τὰς θεοὺς θεραπέυομεν*,  
*non ut ista Deos esse credamus, sed ut ipsos per illa veneremur*. Mitto alios vel  
 ciuiles, vel militares, superioris memoriæ, aut illius ætatis ritus, qui in iisdem  
 IULIANI operibus consignantur. Quo referas Atheniensium eo adhuc æuo  
*Στρατηγὸν*, imagine etiam ab iis cum eo titulo donatum, Constantium; ius  
 patriarum legum seu *αὐτονομίας*, eadem ætate illis iam ereptum; Argiuos  
 tamen, ut de iis alibi dicitur, libertatis, aliorumque iurium, quibus reliquæ  
 Græcorum ciuitates concessu Imperatorum vtuntur, participes etiamnum ex-

L.XV. Tit.  
 VI. Leg. I.  
 § II.  
 Lib. XI. Tit.  
 XLV. lego  
 vnica.  
 Mifopog.  
 p. 346.  
 ad lib.  
 XXIII. c. II.  
 πρὸς τοὺς  
 ἰατροὺς Μι-  
 σόπορος. p. 346  
 Or. IV. p. 159  
 ἔπειτα οὐ-  
 λήνη ἀρετῆ-  
 μέθοδος  
 ἡ ἀρετὴ ἐν  
 τοῖς πλείο-  
 ταις οὐκ ἔστι  
 Ἐλληνίδων  
 πόλεων ἀλ-  
 λ' ἡ καὶ πρὸς  
 ἡλίον, καὶ  
 ἐν ἀπείροισ  
 τοῦ πῦρ ἀρ-  
 χαίαν ἐξ-  
 ὄντων ἀρι-  
 στεινῶν.  
 Comm. i. in  
 I. Epictet.  
 Simplicius  
 in V. Phys.  
 Græc. p. 205.  
 Scaliger  
 de Emend.  
 Temp. Lib.  
 IV.  
 Fragm. E.  
 p. 302.  
 Ep. LXIII.  
 p. 452.  
 Ep. XXIV.  
 p. 396.  
 in Pericle.  
 Harpocra-  
 tion, Hesy-  
 chius, Ety-  
 mol. Magn.  
 Fragm. Ep.  
 p. 302.  
 Ibid. p. 293.  
 Orat. I. p. 8.  
 Orat. III.  
 p. 114.  
 Ep. XXXV.  
 p. 408.

P R A E F A T I O.

stitisse : Macedonas Argiuorum, quod præter Liuium ab aliis quoque est traditum, colonos fuisse. Adde eandem Argos Corinthiis, a septennio, quo hæc scriberet IULIANVS, tributariam redditam: duplicia apud Argiuos, qua de re in nostris ad eximium Morellium Epistolis nuper egimus, Isthmia, & apud Corinthios Nemea, intra vnam Olympiadem aut Pythiadem, quorum nempe quinquennales erant agones, celebrata: theatrales in Corinthiorum Isthmicis, præter gymnicos ac musicos ludos, venationes editas: ad quas præter illius vrbs opulentiam, multæ ciuitates, vt par est, pecunias conferrent. Docebit idem Princeps, modo reliqua tributorum a se remissa, sed ita vt pars illius indulgentiæ in vsum, ederet militum; modo Antiochensibus nominatim multa, præter alias ciuitates, condonata vectigalia; Senatorum ibidem numerum ad ducentos ab illo auctum; illum vero anniuersarium canonem, quem Iudæorum Patriarchæ a Synagogis exegere per *Apostolos* eorum adfessores, ac inde ἀποστολῆς seu *apostolatus* nomine dictum, Iudæis non tam remittit, aut ne ii illud in posterum penderent, eo Edicto, vt existimarunt viri docti, prohibet; quam se eorum *Patriarcham hortatum*, vt ab illo exigendo deinceps vellent abstinere, memorat in Epistola, tempore expeditionis Persicæ, vt ex eadem liquet, ad Commune Iudæorum scripta. Verum cui admonitioni, ob sequitam nempe IULIANI cædem, non paruiffe continuo Patriarcham; eundemque canonem ei, seu eius successoribus, sub Honorio a Iudæis penderi adhuc solitum, patet e legibus ab illo Principe latis, quæ exstant in Codice Theodosiano. Edicit vero alibi IULIANVS Aegypti Præfecto, vt delectis Alexandrinorum adolescentibus, qui in Musica erudirentur, menstruæ in singulos artabæ, (notum Aegyptiæ mensuræ genus) præter frumentum, oleum, & vinum, ac vestem præterea, iis ab ærario præfectis distribuendum, erogarentur. Accedit, quod de Nilo, qui ad diem XII. Kalend. Octobris, quindecim cubitis elatus, Aegyptum vniuersam exundasset, Aegypti Præfectum, quo eum inde ingenti lætaret gaudio, certiore facit, Epistola ea tantum de re ad illum scripta. Vnde tria simul in Lectoris oculos incurrunt: nempe antiquus ille ritus, qui ibidem adhuc viget, quo statum Nili incrementum, ob fecundatam inde Aegyptum, cum adnuntiari palam, tum publica festiuitate celebrari consueuerat; tempus præterea, quo id contingere solitum, non solummodo proinde, vt aliquibus visum, Sole leonem ingresso, illud autem mox in Virgine subsidere, iisdem, quibus Nilus accreuit, modis; mensura denique illius incrementi, & quidem media fere parte maior ea, quæ vbi ad sedecim pedes est elata, solemniori ritu iis in oris, & ad columnam quidem prope vrbs Cairum quotannis, adnotari ab Itinerariorum, quod aiunt, conditoribus traditur. Quum iam olim Alexandria, in Serapidis templo, cubitus seruaretur, quo illud Nili incrementum metiri consueuerant; quemque Constantini iussu in Christianorum Ecclesiam deportatum, a IULIANO autem Imp. denuo inde in Serapidis reductum, tradit Sozomenus. Mitto quæ de *sacra & amplissima Damasco*, aliisque illius, vt eam vocat, *lovis vrbs, & Orientis oculi* decoribus, templorum frequentia &c. alibi memorat; ac vnde, vt alia nunc mittam, veteres & insignes huius vrbs nummi haud parum illustrantur, quibus ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑCYΛΟΣ, item ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ, *Sacra, Inuiolabilis, & Metropolis* eadem inscribitur. Vt hoc addam, quod ab

Ep. XLVIII.  
pag. 418.  
Misopog.  
p. 301.

Petav. in  
Not. p. 115.  
& Iac. Gothofr. Cod.  
Theod. p. 231  
T. VI. Πα-  
τριάρχων  
πρωτοσυνα-  
γωγῆς  
Epist. XXV.  
p. 397.  
Leg. XIV.  
XVII. &  
Slt. de Iu-  
dæis &c.  
Epist. LV.  
p. 442.

Epist. L.  
p. 432.

Kirch. Oe-  
dip. Aeg.  
Tom. I p. 51.

Lib. V. c. III.

Ep. XXIV.  
p. 372.

codem IV  
ces aut Imp  
paratum  
ctorum m  
tur quoque  
Romanorum  
tam, quod h  
ris lectori a  
gynicus.

Sed qu  
nem ac ritus  
vt id de se alie  
pera! Noti a  
hen, Christu  
cui sacramen  
ac pie decerta  
IULIANO  
gori Naziana  
en dici corpe  
nitisque ea  
liquoris impr  
in lacris ibi ad  
rectis, diuino  
idem factu  
le, vt cum Sar  
vbi eos, ob di  
quæ deperdit  
la lenisse,  
doct in eodem  
extructas nem  
telle: in libris a  
infantes huius  
ris mortui, Ch  
tinuo subdit,  
quam id in est  
rent; quæ e  
tem caillat  
aliam, ac p  
quam lucide  
quidem per G  
ceptando mo  
no suo eos m  
luna, in h  
conspuit.  
dotum regie  
que intama

P R A E F A T I O.

eodem IVLIANO discimus, suggestum seu tribunal, e quo Romani Duces aut Imperatores adloqui milites fuerunt soliti, a militari prætorio olim separatum, ad illud a Constantio reductum: qualis præterea veterum cataphractorum militum, seu *equitum ferratorum* vel *clibanariorum*, ut iidem leguntur quoque appellati, armatura, vel olim apud Persas & Parthos, vel inde in Romanorum acie sub eodem Constantio fuerit: quæ (ut alia id genus mitam, quod hæc ipsa præter institutum iam fufius attigerim) enarrabit, seu verius lectori ante oculos ponet, primus, qui eidem Principi dictus est, Panegyricus.

Sed quam potiora adhuc longe, circa illius ævi Christianorum conditionem ac ritus, memorant eadem huius, qui ad vicesimum vsque ætatis annum, ut id de se alicubi in iis tradit, ad eorum sacra adhæserat, Augusti Scriptoris opera! Noti aliunde, qui iam ea ætate circa Martyrum tumulos consueverant fieri, Christianorum conuentus, ad celebrandum eorum, qui pro religione, cui sacramentum dixerant, nouissimum illud certamen fortiter haud minus ac pie decertauerant, memoriam. Quod uti anniuersario (sicut e variis qui IVLIANO fuerunt coætanei, & quondam etiam familiares, Basilii & Gregorii Nazianzeni Epistolis, ac aliunde liquet) ad tumulos illos, seu, ut illo æuo dici cœpta, *martyria*, omnis ordinis aut ætatis Christianorum confluxu, indiētisque eam in rem diebus, peragebatur; ita erant etiam e fidelium, & e sequioris in primis sexus numero, quibus frequentare crebrius eadem loca, ac in sacris ibi ædibus seu monumentis, in memoriam eorundem Martyrum erectis, diuino cultui vacare, erat in more positum. Quod ab Antiochensibus itidem factum, docet simul & suggillat, in eo, quo illos non multo solum sale, ut cum Satyrico loquar, sed acriori etiam strigili defricare voluit, libello: vbi eos, ob dimissos a se ex eorum vrbe histriones ac saltatores, percussos & quasi deperditos dicit, *vota & preces, quo tantis malis eriperentur, ad vetulas demisisse, quæ circum sepulcra mortuorum assidue versantur*. Hinc alibi docet in eodem libro, ciuitates Antiochiæ finitimas, *sepulcra atheorum omnia*, exstructas nempe in Martyrum memoriam ædes, signo a se nuper dato euertisse: in libris autem aduersus Christianorum religionem conscriptis, quasi illi *infelices homines pro Diis colerent*, iisdem obiicit: alibi, quod ad cultum prioris mortui, Christi nempe Seruatoris, novos mortuos addidissent: ac, ut continuo subdit, sepulcris ac monumentis omnia a Christianis repleta, etsi nusquam id iis esset præscriptum, ut circa sepulcra versarentur, eademque colerent; quæ etiam *plena omni immunditia* ab ipso Iesu fuerint dicta. Has autem cauillationes quomodo diluat Alexandrinus Antistes, & ab hoc loco alienum, ac præterea in eodem hoc opere obuium, iam non tango. Sed quam luculenta in primis ac illustra, de singulari Christianorum illo æuo, & quidem præ Gentilibus, in peregrinos humanitate, in egenos beneficentia, in sepeliendis mortuis cura, in moribus sanctimonia, hic ipse Galilæorum, ut non alio eos nomine sibi appellandos credidit, osor quamquam ac irrisor, testimonia, in hisce operibus, ut in Epistola ad Gentilem Galatiæ Pontificem, consignauit. Sic alibi impios Galilæos, ideo scilicet, quod Gentilium sacer-

Orat. I.  
p. 32.  
Ibid. p. 37.

Ibid. p. 37.

Epist. L.  
p. 434.

Epist.  
CCXCI.  
Epist.  
XC. XCI.  
XCVI.

Misopog.  
p. 344.  
vñc τὰ φέρε  
δὲ τὴν ἀθήνη  
αὐτ. &c. 16.  
p. 361.  
Cyrill. ad G.  
Iul. p. 201.  
& 203.

Ep. XLIX.  
p. 429.  
Fragm. E.  
pist. p. 305.

P R A E F A T I O.

<sup>λεγομένης</sup> *conuiuio* ) *mensarumque ministerio*, mentionem facit ; vnde ; quod iam a  
<sup>παρ' αὐτοῖς</sup> Tertulliano aliisque traditum videas, constare potest, pauperum ergo instru-  
<sup>ἀγαπῆς, ὑ-</sup> *ctas* potissimum illas a diuitibus *communes mensas*, *commune epulum*, *κοινὰς*  
<sup>ποδοχῆς,</sup> *τραπέζας, κοινὰς ἐυχωχίας*, vt eas vocant subinde antiqui Christianorum do-  
<sup>καὶ διὰ κο-</sup> *ctores*. Immo vnde, quod monuit quoque Theophanes, *Xenodochia*, seu con-  
<sup>ίαις τρα-</sup> *stituta* ad recipiendos egenos quosuis peregrinos, Gentiles aut Christianos, do-  
<sup>σιζαν. Ibid.</sup> *micilia* exstruenda, certamque frumenti in Galatiæ prouincia quantitatem, quæ  
<sup>Apol. cap.</sup> *peregrinis & egenis subleuandis distribuere*tur, eodem in loco præcipit. Im-  
<sup>XXXIX.</sup> *mo* vnde inductus, hanc ipsam, & vniuersalem quidem, in egenos beneficent-  
<sup>Chrono-</sup> *tiam*, quæ Christianorum, eo id agnoscente, propria quædam laus erat,  
<sup>graph. p. 41.</sup> *pluribus etiam*, ac intento quidem studio, commendat alibi IULIANVS:  
<sup>Ep. XLIX.</sup> *quæ autem non e Gentilium libris, non e Platone suo, Aristotele, aut e Iam-*  
<sup>p. 430.</sup> *blichi etiam vel Maximi Philosophi præceptis, sed ex illis ipsis sacris, quorum*  
<sup>Fragm. E-</sup> *Lector olim in templis Christianorum fuerat, libris, demum hauserat: nem-*  
<sup>pist. p. 290.</sup> *pe quum quærit ibidem (Græca compendii caussa, & in hoc opere obuia,*  
<sup>Fragm. E-</sup> *omittimus) num quis ex eo, quod in alios homines largitus sit, pauper est fa-*  
<sup>pist. p. 290.</sup> *ctus? Equidem quum in egentes sapius erogassem, CVM INGENTI FOE-*  
*NORE a Diis immortalibus recepi: tametsi minus sim ad augendam pecuniam*  
*adtentus: neque me liberalitatis vnquam mea pœnituit. Acprasentia qui-*  
*dem omitto; (neque enim rationi consentaneum est, priuatorum largitatem*  
*cum Imperatoria munificentia conferre) sed quum priuatus adhuc essem, (ac*  
*proinde quum Christianorum adhuc sacra frequentaret) memini id sæpenu-*  
<sup>Proverb.</sup> *mero mihi contigisse. Quæ vtique ab alio, sed Principum sapientissimo, diui-*  
<sup>XIX. 17.</sup> *nitus pridem dicta: FOENERATUR DOMINO, qui miseretur pau-*  
<sup>Ibid. XI. 25.</sup> *peris (seu, quod idem, qui largitur pauperi) & restitutionem suam,*  
*reddet ei; & alibi, Anima que benedicit (largiendo nempe elemosy-*  
*nas, vt ibi Hebræorum verborum interpretes) impinguabitur; & qui sa-*  
*tiat, etiam ipse satiabitur. Alterum, dum prioribus illis mox subdit IULIA-*  
<sup>Φαίεν δ' ἂν</sup> *NVS, dicam amplius, etsi præter communem hominum opinionem id esse videat-*  
<sup>καὶ παρὰ</sup> *ur etiam hostibus ipsis vestes; & alimenta largiri fas sanctumque est: non enim*  
<sup>δοξοῖ ἐπιέν</sup> *moribus, sed hominibus id tribuimus. Quod demum e diuinis supremi Gen-*  
<sup>&c.</sup> *tium haud minus ac Iudæorum doctoris apud Matthæum, ad cuius interpre-*  
<sup>Fragm. E-</sup> *tationem ipse alibi Galilæorum magistros ablegat, præceptis, diligite inimi-*  
<sup>pist. p. 290.</sup> *cos vestros, & benefacite iis, qui vos oderunt, ab eorum præcone olim, postea*  
<sup>ε 251.</sup> *desertore, haustum, nemo vtique non agnoscit. Vnde quo iure idem alibi, seu*  
<sup>Epist. XLII.</sup> *qua fronte iisdem, vel potius erga egenos quosuis, quam ipse alibi tantope-*  
<sup>p. 413.</sup> *re in illis extollit, suis autem, seu Gentilibus, modis omnibus imitandam &*  
<sup>Matth. V.</sup> *amplectendam suadet, beneficentiæ, aperte haud minus ac impie illudat:*  
<sup>44.</sup> *dum ideo a se iustum ait, vt Galilæorum pecuniæ omnes & facultates, ab Edes-*  
<sup>Ep. XLIII.</sup> *fenorum Ecclesia sublata, militi diuiderentur, aut in priuatos suos vsus cede-*  
<sup>p. 424.</sup> *rent; vt, quo nempe facilius in regnum cælorum veniant, hanc adferret iis*  
<sup>Ora VII</sup> *opem; quo illi, vt adhuc addit, pauperes facti, sapiant, neque regno cælesti,*  
<sup>p. 224.</sup> *quod nunc etiam sperant, priuentur; non capio. Idem etiam alibi ipsam ἐλεημο-*  
<sup>Lic. V.</sup> *σύνης vocem, de illa in egenos liberalitate dici a Christianis solitam, qua tamen*  
<sup>c. XVII</sup> *eo sensu vsus itidem Gentilis scriptor Laertius, tradit ac suggillat; eosque cum*  
*Cynicis ibidem componit, quibus bonis exiguis se abdicantes, non Ἀποτακτι-*  
σαί,

P R A E F A T I O.

*σα*, vt ibi emendauit Petauius, sed *Ἀποτακτικοί*, sint ab iisdem Christianis dicti: & quo cæteroquin *Ἀποτακτικῶν Apotacticorum* nomine appellatos illo æuo hæreticos, qui ob illam *ἀκλήμοσύνην*, seu bonorum omnium renunciationem, gloriabantur, liquet, præter omnes IULIANI codices, ex Epiphanio, *βέλονται δὲ καὶ Ἀποτακτικὸς ἐαυτὸς λέγειν, qui ἔσ' Apotacticos seu Renunciantes seipsos nominant.* Quos alioquin non *Ἀποτακτικῶς* quidem, iuxta Petauium, sed *Ἀποτακτικῶς* itidem nuncupatos, & cum Encraticis coniunctos legimus, cum apud Basilium in Epistola ad Amphiloichium, tum in Codice Theodosiano. Adde quod idem IULIANVS in Misopogone, inde inter alia Antiochensibus succenset, quod eorum vxoribus, vt pauperes maritorum facultatibus alant, permitterent: adeo nullam sinceram omni:que ex parte illibatam, in re etiam præclarissima, & ad cuius imitationem Gentiles suos alibi conatur, vt modo vidimus, inflammare, laudem voluit Christianis relinquere, ipse verus puri Dei cultus *Ἀποτακτικῶς*. Quid iam inuictam illam eorundem Galilæorum, seu martyrum, (quod nomen solet auersari) in subeundis quibusuis pro tuenda Christianæ Religionis fide ac veritate periculis, morte etiam appetenda, constantiam memorem? quam ille in iisdem agnoscit, sed quam impie malis Dæmonibus adscribit; a quibus scilicet *atheorum* (Christianorum illud solitum apud hunc *Παραβάτην* elogiū) *plerique perciti, mortem appetendam esse persuadent sibi, tanquam in cælum euolaturi, ubi per vim animam ex iis vinculis extorserint.* Quibus gemina hodie leguntur in postrema huius Principis Epistola, a nobis e scriptis codicibus emaculata: vbi, post deploratam suorum temporum fœdam circa Deorum cultum negligentiam, vitamque Gentilium deliciis profligatam; iis continuo opponit eorum inter impios, consueta illi rursus Christianorum appellatione, feruorem, *qui pro ea religione mortem eligant obire, omnemque inopiam ἔσ' famem ferre, ne suillis, aut suffocato, aut morticinis vescantur, ὑείων ὅπως μὴ γέυσαντο, μηδὲ πνιῖσθ, μήτ' ἄρα ἔσ' ἀποθλιβέντες.* Quibus equidem verbis adstrui receptum adhuc Iuliani æuo inter Christianos, ac in Oriente quidem, quod aliunde constat, (e Canone puta Apostol. LXIII. & Concil. Gangr. Can. II. vt iam de Tertulliano ac Origene si- leam) a suffocato & morticinis abstinendi morem, luculenter videtur comprobari; nisi, quod ibidem additur, de simili a *suillis* abstinencia, vt mors potius obeunda iis videretur, quam iisdem vesci, ad Iudæos, non ad Christianos, omnino respiceret; vti sequentia quoque, de iis, vt cæteroquin *piis ex parte veri Dei cultoribus*, vnoque eorum errore, quod spreto aliorum Deorum cultu, ei soli, quem Gentilibus occultatum putent, seruiant: & a quorum dein mentione, transit ad *impios Galilæos, ἐν τῆς Γαλιλαίας δυσσεβείς.* Immo prout ipse, in libris aduersus eosdem Galilæos seu Christianam Religionem scriptis, eos inter alia redarguit, quod ii ab Hebræorum cibis id genus in lege vetitis abstinendi more recesserint: inde autem eos, ac nominatim quod *suilla carne vel piscibus vescantur, ne utiquam reprehendendos esse contendit Cyrillus.* Adde vero, quæ ad priorem locum, de iisdem Galilæis subdit, *qui deserta loca urbibus anteponebant, seu solitariis illis inter Christianos ascetis, quorum vberimus tum erat in Aegypto, Palæstina & Mesopotamia, vt ex aliis illius æui monumentis sat notum, prouentus: quosque inde obiter ibidem carpit, quod sit homo natura ciuile ac mansuetum animal.* Sed vt mittam, quod eundem IULIANVM *ἐν μοναστηρίοις τετραμμένον, in mo-*

Har. LXI.

Can. I.  
Tom. II.  
Leg. VII.  
Cod. Th. D.  
Hæret.

pag. 363.

Fragm. Ep.  
p. 288.

Ep. LXIII.  
p. 453.

Apolog.  
cap. IX.  
adv. Celsum  
Lib. VIII.  
p. 396.

Ep. LXIII.  
p. 454.

Cyrril. con-  
tra Iulian.  
Lib. VII.  
p. 238.

Ibid. p. 241.  
seq.

Fragm.  
Epist. p. 288.  
vid. Basil.  
Ep. LXIII.  
c.

contra Iu-  
lian. Lib. I.  
p. 31.



P R A E F A T I O.

*nasteriis Christianorum educatum* tradit Cyrillus; nempe eum; Constantii metu, monasticum vitae genus simulasse, ut de eo ait Sozomenus, eidem, inquam, illud unum, quod de prima horum *ascetarum* origine est pridem memoriae proditum, licebit obiter reponere: eam nempe a diris illis Christianorum inter Iuliani decessores persecutoribus profectam; dum, qui se in montium culmina ac solitudines, fugiendae saevienti persecutioni, abdiderant, huic viuendi rationi paulatim adsueta, institutum dein illud ad mortem vsque sibi retinendum credidere. Ne iam de iis loquar inter Christianos Episcopis, qui paullo ante, insigni Arianorum saevitia, in deserta Aegypti aliaque, quo in iis perirent, loca erant relegati; uti de iis, & quorum nomina ibidem recenset, testatum reliquit in Epistola ad Solitarios Athanasius. Immo cuius etiam rei fidem haud vno loco facit in hisce suis operibus IVLIANVS: dum Galilaeis a Constantio, Arianorum nempe factione eiectionis, in patriam cuique suam reditum a se concessum tradit: alibi apertius, imperante Constantio, plerosque e Galilaeorum Antistitibus relegatos, fugatos, vinctos: eorum, quos haereticos vocant, turbas quamplurimas, Samosatensis, Cyzici, in Paphlagonia, & in Bithynia, aliisque gentibus, iugulatas; integros pagos vastatos, ac funditus eversos; a se autem permissum relegatis reditum, eosque, quorum bona publicata fuerant, edicto a se ea de re promulgato, omnia sua recuperasse. Mitto iam, vel quae de Galilaeis seu Christianis in genere a se humaniter statuta memorat: ut nempe eorum nemini vis inferatur, nec in templum trahatur quispiam, aut alia de re vlla, praeter voluntatem suam, adficiatur contumelia; & quod alibi denuo ac vberius tangit, nempe *se tantum ab eo abesse, ut priuatim sacrilegorum* ( hoc est, Christianorum ) *quempiam velit, aut leuissime etiam cogitet, in sacrorum apud Gentiles communionem recipere, priusquam & animam supplicationibus ad Deos, & corpus legitimis purgationibus expiatum habeat.* Quibus insuper haec memoratu, a tali maxime & infesto caeteroquin iisdem Christianis principe, digna subdit, *oratione persuaderi docerique satius est homines, quam verberibus & contumeliis corporumque suppliciis; mox, ergo iterum ac saepius eos admoneo, qui in veram religionem voluntate sua feruntur, ne qua iniuria Galileos adficiant, aut contumeliis vexent: etenim misericordia potius quam odio illi digni.* Quibus vero parum consentanea ( ne atrociora iam, quorum in priscae Ecclesiae Annalibus, aut in sanctissimorum virorum non editis solum aduersus illum Philippicis, sed aliis sedatioribus scriptis, consignata occurrit memoria, hic adtingam ) ea, quorum in suis Epistolis meminit, & quo nomine a laudatore caeteroquin eius summo ac Gentili scriptore redargui haud leuiter meruit, Edicta, nempe, ut idem ille grauisimus Auctor ea de re ait, *inter qua erat illud inclemens, quod docere vetuit Magistros Rhetoricos & Grammaticos Christianos, ni transissent ad Iudaicum cultum:* idque illo, ut ipsemet ea de re loquitur, vanissimo obtentu, quod absurdum scilicet sibi videretur, eos, qui Homeri, Hesiodi, Demosthenis, Herodoti, aliorumque id genus auctorum libros exponunt, Deos vituperare, quos illi coluerunt: optionem proinde se illis dare, ut non doceant, quae non bona esse censent; sin docere malint, eosdem, quos interpretantur, impietatis & amentiae non accusent: denique ineptum se credere, ut homines ea doceant, quae non bona esse arbitrentur. Quomodo deni-

Lib. V.  
cap. 11.

Pag. 858.  
Tom. I.

Ep. XXVI.  
P. 398.

Epist. LII.  
P. 436.

Ep. XLIII.  
P. 424.

Ep. LII.  
P. 436.

P. 438.

Cf. eundem + Ammian.  
Ammianum Marcellin.  
Lib. XXV.  
cap. IV, 22, 107.

Epist. XLII.  
P. 423.

+ M. Samuel Traugott Miix, De Iuliano imperatore scholis Christianorum  
infesto. Schleusingae 1811.

P R A E F A T I O.

denique eosdem illos Christianos humaniorum litterarum magistros, si putant aliquid a priscis illis auctoribus de Diis perperam traditum, ad Galilæorum Ecclesias continuo ablegat, ubi Marcum & Lucam interpretentur, quibus vos obtemperantes, a victimis (rectius quam ibi Petavius, sacris) abstinere iubetis. A quibus haud valde recedunt, quæ IULIANO eadem de re verba tribuit, & quorum vanitatem pluribus ibidem redarguit, Antistes Nazianzenus. Verum quibus inclementibus, ut eadem vocantem vidimus Gentilem gravissimumque Auctorem, IULIANI in Christianos seu humaniorum litterarum professores edictis, adscribi forte a multis possent alia ab eodem in Clericos lata, & de quibus ipse in Epistola ad Bostrenos refert; quod nempe Clerici ποθῶντες δὲ τὴν προτέραν δυναστείαν, ὅτι μὴ διδάξεν ἕξω αὐτοῖς, καὶ γράφειν διαθήκας, καὶ ἀλλοτρίαις σφετερίζεσθαι κλήρας, καὶ τὰ πάντα ἑαυτοῖς προσνέμειν, prioris dominationis cupidi, quoniam neque ius dicere amplius illis permittitur, neque testamenta scribere, aut alienas hereditates intervertere, & ad sese omnia transferre. Qui locus eo utique maiori quadam adtentione dignus videri potest, quod inde sub hoc Principe ademptam Clericis testamenti factionem, iusque captandarum hereditatum, liqueat: de quo tamen IULIANI facto aliunde non constat, & quibus repugnare potius videntur aliæ quorundam Imperatorum Constitutiones, aut Christianorum illa ætate Scriptorum testimonia. Ac, ut id paucis hic & obiter tangam, ius quidem condendi testamenti quod adinet, eo gauisos adhuc sub Theodosio Iun. Clericos, arguit etiamnum illius Constitutio, quæ exstat in Codice Theodosiano; nulla etiam facta a diligentissimo alioquin eius Enaratore, iis antea adempti, & quidem sub IULIANO, huius iuris mentione. Hereditatem vero mulierum quarumcunque, vel donatione, vel testamento, percipiendi facultatem, Valentiniani primum edicto Clericis veritam constat, ex alia lege in eodem Codice, & luculentis præterea coætanei eidem Principi Ambrosii, illique supparis Hieronymi, & quæ de eadem lege iam adduxit in Annalibus Baronius, testimoniis. Et Hieronymi quidem: *pudet dicere, sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & scorta, hereditates capiunt: SOLIS CLERICIS ac monachis hac lege prohibetur, non a persecutoribus, SED A PRINCIPIBUS CHRISTIANIS.* Nisi quis illis non a persecutoribus verbis, ad similem quampiam legem, paullo ante a IULIANO, aduersus Clericos hereditatum aucupes, latam, sed breui abolitam, respexisse credat Hieronymum: aut vero, non adeo promulgata ab illo Principe ea de re lege, quam alia quapiam ratione, coercitos ab eo, ne vel testamenta conderent, vel hereditates captarent, idque certis demum in locis aut regionibus, Clericos, liceat forte statuere. Qua de re opportunior ad ipsa Iuliani ea de re verba agendi locus dabitur.

Neque vero valde mihi nunc laborandum putem, ut de ordine, vel ætate, aut honoris gradu, quo ea, quæ hic prodeunt, opera, elucubrauit IULIANVS, studiose anquiram: priuatusue etiamnum; an iam Cæsar a Constantio, ac paucis post annis a Gallicano exercitu Imperator nuncupatus; an vero, ubi post eiusdem Constantii obitum, solus Romano orbi sub Augusti nomine præfuit. Id tamen paucis hic indicare haud omnino superuacaneum vel alienum putem; quodque ea parce, nec vere subinde,

ἵς πη·  
δέντες, ἰε-  
ρείαν ὑμῶν  
ἀπέχεσθαι  
σομοθεῖαι  
Ibid.  
Στολιτ. I.  
p. 97.

Epist. VII.  
p. 437.

Leg. I. de  
Bon. Cler.

Leg. XX. de  
Episc. &  
Cler.  
Ad A.C. 370  
Tom. IV.

P R A E F A T I O.

de, aut vero ubique, suis adtigerit locis Petavius. Vnde id primo hic tenendum, quod præter paucas ad amicos, Serapionem, Iamblichum, Libanium, vnumue forte vel alterum, *Epistolas*, nulla a IVLIANO adhuc priuato, ac ideo infra vicesimum quartum ætatis annum, elaborata hic legantur eius opera. Ab eodem vero, vbi a Constantio, mense Nouembri anno æræ Christianæ CCCLV, est in Cæsarem adscitus, & mox in Galliam ablegatus, ac sequenti anno, conditæ sunt ab eo duæ in eiusdem *Constantii*, ac tertia in *Eusebie*, illius coniugiis, laudem *Orationes*: quæ in hisce eius operibus primum locum obtinent. Quo insuper temporis, ab anno nempe CCCLVI, ad annum CCCLX, interuallo, quo in Galliis & contra Germanos militauit Cæsar IVLIANVS, scriptæ aliquot eius *Epistolæ*; sicut ad Alypium, vbi inter alia legitur, *tecum Musa Gallica & barbarâ iocatur*; aut altera ad Eumenium & Pharianum, in qua mirum esse ait, si vel Græce loqui possit, *tantum ex his regionibus*, Gallia nempe & Germania, *barbariem contraximus*; tum, & postremo quidem illo anno CCCLX, vt ex eius ad Athenienses *Epistola*, quod vidit iam Petavius, ac præterea ex Ammiano Marcellino, licet statuere, condita ab illo *Oratio VIII*, seu ad Sallustium, ob eum Constantii iussu a se e Galliis auulsum, *Consolatoria*. Ab illo vero tempore, seu ab anno CCCLX, & quidem circa mensem Maium, vt erudite ex Ammonis *Epistola* in Critica ad Baronium haud pridem monuit doctissimus Pagi, quo est in Galliis Imperator ab exercitu nuncupatus, conscripta est *Ad Athenienses Epistola*; qua suscepti a se inuito & reluctante imperii, ac inde aduersus Constantium belli, culpam conatur diluere; tum *Epistola XXXVIII, ad Maximum*, qua se iam a Gallis ad Illyricos profectum docet. A sequenti anno CCCLXI, & quidem in Nouembri, quo fato functus est Constantius, solusque rerum dominus remansit IVLIANVS, anno proinde eius ætatis tricesimo, ad Christi annum CCCLXIII, V. Kalendas Iulias, quo cæsus est in Persica expeditione, seu intra illius vnus anni octouæ circiter mensium spatium, elucubrata sunt reliqua, quæ maiorem ac potiolem ferme eorundem partem constituunt, eius opera. Cuiusmodi sunt, vt eadem illo potius, quo videntur prodiisse, ordine, quam eo, quo in iisdem hodie comparent, obiter notem: *Epistola ad Themistium*; *Oratio in Solem*; duæ, vna, *in Cynicum* quendam, seu *in Imperitos Canes*; altera, *in Matrem Deum*, *Orationes*: quarum primam, dum Imperator ad Bosporum ageret; alteram mox, vbi ad Matrem Deum in Phrygiam esset profectus, & quidem antequam Antiochiam eodem anno tenderet, anno proinde Christi, quod aliunde constat, CCCLXII, elaborauit; vt id e clarissimis Libanii eam in rem verbis liquet: non vero, vt de tempore scriptæ prioris illius in Cynicum Orationis loquitur Petavius, in ipsa contra Persas expeditione, ac proinde sequenti demum anno. Altera vero *contra alium ibidem Pseudocynicum*, seu *de Cynica Philosophia*, Oratio, vel eodem circiter tempore, vel haud valde disito, cum priori illa in falsum Diogenis imitatore, scripta; certe post Constantii itidem, vt ex eadem liquet, vbi pag. 223. τὸ μακαρίτης Κωνσταντῆς fit mentio, obitum. *Cæsares* vero eius, a morte itidem Constantii, & quidem Saturnalibus scriptos, ex initio & fine eorundem constat: ac proinde illud eruditissimum elegantissimumque Satyricon, ex eunte anno CCCLXI, dum Constantinopoli adhuc ageret, occasione ludicri illius

*Epist.*  
*XXIV.*  
*p. 403.*  
*Epist. LV.*  
*p. 441.*

*Lib. XX.*  
*cap. IV.*

*ad A. C.*  
*CCCLX.*  
*num. 12.*

*In Iulian.*  
*Necem p.*  
*254. &*  
*Orat. F.*  
*nebr. p. 300.*  
*Not. p. 92.*  
*Orat. VII.*

P R A E F A T I O.

illius festi, ab eo exaratum; vel quod Antiochia in Decembri sequentis demum anni, eadem occasione iocosi huius sacri, eo se ingenii lusu, ac in vrbe quidem mirifice dicacibus id genus deliciis dedita, oblectare; simulque in Constantini & Constantii (quorum gloriae fauebant impense illius vrbis ciues, ob multa collata in se beneficia, ac religionis inprimis Christianae adfertum propagatumque diuinitus apud eos cultum) memoriam, eorumque sacra, insultare voluerit IULIANVS. *Misopogon* vero breui dein, adfecto nempe Ianuario sequentis anni CCCLXIII, non vero iuxta Petauium, ad hoc ab Ammiano Marcellino perperam inductum, CCCLXII, scriptus: prout id vere iam e variis & clarissimis illius libelli locis, ad eundem Ammianum occupauit doctissimus Valesius, ac inde nuper ad Criticam Baronianam reposuit eruditissimus Pagi. Maiorem vero *Epistolarum* partem, a IULIANO ab eo tempore, quo solus summæ rerum in orbe Romano præfuit, scriptam demum, atque ita intra illud viginti circiter mensium interuallum, ex iisdem licet continuo percipere. Constat id vtique e variis ad Ecdicium Aegypti Præfectum, & ad Alexandrinos; vel ad Byzantios, & ad Bostrenos; vel ad Iudæorum Comune; vel in Argiuorum gratiam, Edictis; vel ad Arsacium Galatiæ, aut ad Theodorum quendam alterius prouinciæ Pontificem; vel ad Porphyrium Alexandriae agentem, Rescriptis; aliisque, quibus de suis, vel vt mansuetudinis ac humanitatis plenis, aut vero durioribus in Christianos decretis agit; aut pro Medicorum immunitate, vel Zenonis Archiatri Alexandriae reditu decernit; aut vbi reliqua fisco debita remittit; iisque, vt ad Iulianum, auunculum, aut ad Hermogenem Aegypti Ex-Præfectum, quibus se morte Constantii, imminentibus malis liberatum, agnoscit; aut illa ad Libanium, quæ Hierapoli in ipsa expeditione Persica, primas eius, vbi Antiochia soluisset, mansiones notat. Quæ omnia vtique seu Edicta, seu, in quarum classem hic referuntur, Epistolæ, easdem ab eo, solo iam Imperatore & Augusto, conscriptas luculenter arguunt. Neque vero dubitare itidem licet, ab eo tempore, quo solus orbi Romano imperauit, immo, vt paullo post dicitur, adfirmante id Hieronymo, in ipsa expeditione Persica, elucubratos ab eo aduersus Religionem Christianam libros, quos a CYRILLO illi, qua eos confutauit, disputationi insertos, seu verius, & qua de re mox, partem eorum haud contemnendam, hic reperiet Lector.

E qua autem IULIANI, qui nec dum completo tricesimo secundo anno obiit, ætate, qua condita sunt priora illa, quæ sub eius nomine iam ante vulgata, hic denuo & aliquantum emendatiora vel integriora prodeunt, opera; aut ab eo, quo eadem illa insigniuntur, supremo inter homines fastigio; haud iam opus, vt nouum inde iis decus vel pretium operose hic arcessam. Etsi inter Augustos eius Decessores, vel ex iis, qui illum sunt in eodem excelso honoris gradu subsequuti, haud videam, qui vel doctrinæ varietate, vel eruditionis copia, vel ingenii luminibus, vel vi facundiæ, palmam, iis quidem in artibus ac inscribendi facultate, possit ei dubiam relinquere. De Latinis Iulii Cæsaris, quos de bellis vel Gallicis, vel ciuilibus a segestis, versamus Commentariis, iam non loquar: qui vt perfecti quidem eo in genere, ita intra vnam eam laudem consistunt, quam eiusmodi argumenti tractatio exigere potuit; quamque admirabilem sunt consequuti.

ad lib.  
XXII. cap.  
XIV.  
ad A. C.  
CCCLXIII.  
n. 5.

vid. Epist.  
VII. XLII.  
& XLIII.  
vid. Epist.  
XLVI.  
Epist. XIII.  
Ep. XXIII.

Epist.  
XXVII.

Epist.  
LXXXVII.

PRÆFATIO.

Amnian.  
Lib. XVI.  
cap. I. &  
Eutropius  
Lib. X. cap.  
XVI.

Marci autem Antonini, ad cuius exemplum vitam ac mores, ut ipsemet id de se præter alios testatum reliquit, IVLIANVS composuit, aureus exstat etiamnum liber; quo, si ad vitæ & actionum humanarum instituta, normam, officia, leges, conditionem, usum, rerumque, quibus vulgo adfici homines solent, ipsiusque mortis contemptum respicias, nihil a Gentili Scriptore, maxime autem, qui ad illud euectus esset rerum humanarum culmen, grauius, sapientius, opportunius proficisci vnquam potuisse, aut profectum alias fuisse, haud liceat utique diffiteri. Verum præterquam quod hoc vno, etsi amplissimæ laudis curriculo, comprehendatur omnis illa eiusdem principis, decerpta ex eius aduersariis, commentatio; neque in alio argumenti genere elaborata legantur ab illo opera: ita se ea, quæ ex humanioribus litteris ac disciplinis petitur, cognitione destitutum, minus certe imbutum, ipsemet eodem in libro agnoscit: nempe *se non ampliores in arte oratoria, pœsi, studiisque aliis eiusmodi, nempe quæ humanitatis dici solent, progressus fecisse.* In quibus tamen optimis artibus, quantum vel in se laudis, vel adiumenti, ad alias sublimiores disciplinas esset situm, abunde, ut alia nunc mittam, grauisimi & sanctissimi inter Christianos doctores, eadem IVLIANI ætate, tunc professi; qui ob interdictas ab illo principe Christianis, & qua de re paullo ante, easdem artes, ita acerbe, nec immerito, in eum sunt inuecti. Quam insignis vero fuerit eiusdem IVLIANI, cum in iisdem illis artibus, tum in grauioribus disciplinis excolendis tractandisque, contentio ac industria; quam vtraque illa laude excelluerit, & ea quidem, quæ ad vitam a teneris, optimis moribus, institutis, virtutibus, temperantia maxime, continentia, in egenos beneficentia, rerum humanarum ac mortis etiam despicientia, imbuendam, ducit, impellit, incendit; satis superque iam antea est ostensum. Eos vero multis hic non tangam, qui eiusdem cum IVLIANO fastigii sequutis eum ætatibus, composites, vel de re sui æui militari, vel de administrando imperio, quasdam commentationes, haud spernendas utique, sed luculentas, litteris consignarunt; vel de congerendis ex omni retro memoria veterum Auctorum Excerptis laborarunt: quibus autem eos singularem (quam & illi Imperatori, cuius opera Romani iuris scientia est compilata, haud immerito tribuas) pulcherrimi instituti, & præclaræ industriæ, ac diligentia verius, quam exquisitæ cuiusdam doctrinæ, vel facundia, vel sublimioris ingenii, laudum promeritos dicas aut consequutos. Quis vero laudem cumulus hisce IVLIANI monumentis non inde accedat? si illud insuper attendamus, eadem non elucubrata, aut in pacis otio ac tranquillis temporibus, & post exhausta pericula, post abiectas denique armorum curas, ac bellorum meditationes; non ipso multorum annorum decursu, aut vergente ad senium, & inde ad quietem ac interiorem animi cultum, ætate; sed in primo ætatis flore: in ipso bellorum, quæ fortiter haud minus, quam feliciter, cum ferocissimis gentibus gerabat, discrimine: in mediis, quæ eum vndique circumstabant, periculis: aut vero in primis terrarum imperii auspiciis: in ipso grauisimi contra Persas belli apparatu, aut suscepta iam expeditione: eaque præterea non meditata diu, aut limata, sed, vi quadam ingenii ac doctrinæ incredibili, effusa ferme; quod vel de iis superius iam dicta satis ostendunt, & extemplo prolata.

Sed iis forte laudibus, quibus hæc IVLIANI opera diximus abundare, omni-

μη ἐπιπλά-  
σι μὲ πρὸ-  
κρίσει ἐν  
ῥητορικῇ,  
καὶ ποιητικῇ,  
καὶ ἐν ἀλ-  
λοις ἐπιτη-  
δεύμασι.  
Lib. I. Sect.  
XVII.  
vid. Greg.  
Naz. Στὴλ.  
I. pag. 96.

omique, q  
continuo de  
flantibus,  
notumis f  
dem eius op  
sibi conuio  
altera vni d  
exemplo, Pe  
que ibidem r  
tas vel occasio  
Imperatoris f  
no velut con  
terra religio  
re subesser pra  
cupa; si quod  
quam in me  
ois, quod e  
fina: in quo  
logonis my  
us, Constan  
stet, ut pua  
is, qui hanc  
entiam, co  
ere, dicam  
nolem factum  
indici, ratione  
uolum, non  
idem princeps,  
quos corum  
cila tradere  
natioque, inst  
dem, quibus ill  
tas, sua autem  
ceret) scripsit  
plane Gemina  
bor, abolea,  
rius quidem,  
ri, iudem quip  
superiorum  
erant, produ  
hæc conuio  
nem insignit  
hæc, ut pa  
rum mutuoque  
verum mem  
quorum

P R A E F A T I O.

omnique, quæ ex iis percipi potest, utilitati ac oblectamento, haud parum continuo detrahet, immo abolenda potius eadem penitus, ac vlticibus etiam flammis, suadebit ea, non qua is solum, vel ipsa appellatione, ad æternam nominis sui infamiam est insignitus, impietas; sed illius impressa etiam in iisdem eius operibus vestigia. Verum cui scrupulo vel opinioni occurrendum sibi continuo ab initio Præfationis eius operibus præmissæ existimavit, idque alterius viri docti, qui id iam, dum Misopogonem ederet, fuerat adgressus, exemplo, Petavius; iisque haud leuibus rationum ac auctoritatum momentis, quæ ibidem reperiet Lector. Cuius etiam defensionis eo minor in me necessitas vel occasio nunc incumbit: quod nec primus, vt hi Desertoris illius ac Gentilis Imperatoris fœtus ederentur, opem tuli; sed iisdem membratim primo, ac dein toto velut corpore, id agentibus hoc & superiori seculo viris grauibus, ac præterea religiosis, in dias luminis auras pridem exierint. Adeo, vt, si quæ ea in re subesset præposteri cuiusdam iudicii, nimisæque aut vero noxiæ diligentia culpa; si quod inde periculum foret vllatenus metuendum; in alios potius, quam in me, tota illius mali vel offensionis inde ortæ causa recideret. Accedit, quod ea de re nonnulla ad eiusdem Imperatoris Cæsares præfati olim sumus: in quo libello circa finem virus illud suum in sanctissima Christianæ Religionis mysteria, ac dentatos aculeos in eorundem cultores, ac propagatores, Constantium & Constantinum, emisit **IVILANVS**. Tantum quoque abest, vt piissimis haud minus ac facundissimis illius ac proximi æui Oratoribus, qui hunc Christianæ fidei desertorem non solum, sed insectatorem acerrimum, eo iam sublato, omnibus artis coloribus sibi depingendum credidère, dicam, quod a viro nostrarum partium, docto illo inprimis ac disertio, nollem factum, scripserim; vt grauisimas potius, quibus iisdem fuerunt inducti, rationes, idque ad futuræ ætatis memoriam, ac ad successorum exemplum, non dissimulauerim. Verum non ideo minus illos ipsos, quos iisdem Princeps, ad subruendam Christianam Religionem, conscripserat libros; quibus eorum dogmata, mysteria, cultum oppugnare, & sacra eorum oracula traducere ac labefactare, impio non minus quam intento studio conatuque, instituit; proxima post eum ætate grauisissimus Antistes Cyrillus, iisdem, quibus illos grauisissima disputatione retudit, (quoque eorum inde vanitas, sua autem in iis referendis ac redarguendis fides & accuratio magis eliceret) scriptis inferere haud refugit; & eo quidem tempore, quo nec dum plane Gentilitia superstitione erat in orbe Romano, vicinisque eidem regionibus, abolita. Vt minus vtique mirari quempiam subeat, si alia, & in secularibus quidem, vt eo æuo loquebantur, disciplinis elaborata huius Imperatoris, iisdem quippe artibus ac doctrinis mirifice exculsi, opera, ab ipsis superiorum temporum Christianis, sint posteris, & ad nostram vsque ætatem, prodita; ac inde post renatas litteras a viris doctis & cordatis studiosè conquisita, & in lucem subinde emissa. Præterquam enim, quod eadem insignibus doctrinæ, ingenii, & facundia luminibus abundarent; haud leuis inde, vt paullo ante vidimus, & monuerunt iam alii, ad interiorem rerum rituumque illius æui notitiam vsus percipi continuo poterat. Neque vero erat metuendum, vt in iis subinde testata aduersus Christianos, aut iniquiora de eorum cultoribus iudicia, transuersum quemquam raperent; ac

P. Martini  
us in Præ-  
fatione.

P R A E F A T I O.

non potius eadem, illigatam IVLIANI vanissimis superstitionibus seu præstigiis mentem, aperte denudarent. Quomodo comprobata vel inde eorum fides, quæ de illo vesano IVLIANI, Christianos non insectandi solum, sed omnem quoque iis cum religionis tum ingenii cultum abolendi proposito, sunt vel fastis ac annalibus illorum temporum consignata; vel in memoratis paullo ante grauisimorum virorum Philippicis, ad quas iultissima inde offensio illos induxit, non sine acerbo doloris sensu, uti paullo ante diximus, tradita. Immo vnde eo magis luculenta se produnt ac illustria, tanquam non a militante in iisdem castris, immo non a desertore solum, sed a transfuga, edita in iisdem illis operibus, quæ supra iam adtigimus, testimonia: de singulari nempe & promiscua Christianorum in peregrinos quosuis & egenos humanitate & beneficentia; excelsa & inusitata, in subeundis quibusuis pro fide ac religione periculis, animi firmitudine; de contrariis autem Gentilium sui æui, & sacerdotum vel maxime, studiis, omnique vitæ ratione, ab illa Galilæorum mente, moribus, institutis, valde aliena. Adeo ut vel vnde illa IVLIANI opera inducendi, aut ea saltem loca, quæ eorundem Galilæorum doctrinam aut cultum tangunt vel lacesunt, refecandi, iniici poterat cogitatio; inde etiam illa, ne ea quidem parte lacera vel mutila, in lucem educendi, ratio & consilium proficiscatur.

*De prioribus IVLIANI editoribus, nouaque hac editione.*

Quo proinde, eoque laudabili, illustria veterum ingeniorum monumenta diuulgandi instituto, factum, ut hæc IVLIANI Imperatoris opera sint itidem a tenebris, in quibus per tot secula delituerant, in lucem, & membratim quidem aliquamdiu, emissa. Ita EPISTOLAE eius nonnullæ Græce, vna cum aliis veterum aliquot Græcorum Epistolis, ab Aldo primum editæ anno MCCCC XCIX, eæque dein cum MISOPOGONE Græce & Latine, in forma, ut vulgo aiunt, octaua, a VVechelo vulgatæ, anno superioris seculi LXV, MISOPOGON vero postea Basileæ, a Bonauentura Vulcanio Latine versus. Quod demum e Conrado Gesnero, eiusque Bibliothecæ amplificatoribus, didici. Quas vero editiones nec dum inspicere aut nancisci mihi licuit, neque earum nominatim vllam a P. Martinio, qui eadem, ut mox dicetur, IVLIANI opera diuulgauit, aut vero a Petauio, immo nec in Athenis Meursii Batauis, inter editos a Vulcanio libros, vllam Misopogonis ab eo vulgati ac Latine versi mentionem factam video. Eos vero, qui publicandorum huius Augusti scriptorum fecerunt initium, excepit Carolus Cantoclarus, vir cum maiorum Senatoria, tum propria supplicum libellorum in Gallia magistri dignitate conspicuus, Græcis præterea Latinisque litteris egregie excultus, ut ex aliis eius lucubrationibus constat: sicut e Græco sermone ab eo in Latinum versis ac editis Dexippi, Eunapii, & aliorum auctorum Excerptis de Legationibus; e Casauboni insuper amplissimo de eodem ad Suetonium, quod alibi iam protulimus, elogio. Is autem huius Imperatoris CAESARES, seu, ut veteres libri præferunt, ΣΥΜΠΟΣΙΟΝ (quod in aliqua Italia ac in Augustana Bibliotheca extare tradiderant, superiori itidem seculo, dicti modo Gesnerus & qui in eodem argumento laborarunt) e tribus, ut in Præfatione Notis præmissa ait, scriptis libris, vna cum Latina interpretatione a se adornata ac Notis, primum edidit in lucem Parisiis, anno seculi superioris LXXVII. Sequuta dein paucis  
annis

*in Præfat. Gall. ad Casaresul.*

P R A E F A T I O.

annis post, seu anno MDLXXXIII, eadem in vrbe; noua; & quidem  
 quæ exhiberet, iuxta eius lemma, ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟ-  
 ΡΟΣ ΤΑ ΣΟΖΟΜΕΝΑ, seu, *omnia quæ exstant IULIANI opera*, edi-  
 tio: tribus autem eius auspiciis, Petro Martino Nauarro, qui MISOPO-  
 GONEM & EPISTOLAS, aliarum accessione locupletatas, cum addita  
 versione Latina ibidem protulit; tum Carolo Cantoclaro, qui præter  
 CAESARES denuo ab eo editos, & e quarto insuper codice, e Reginae Ca-  
 tharinae Medicæ Bibliotheca deprompto, castigatos, eiusdem IULIANI  
 PANEGRICVM CONSTANTIO Imp. dictum, qui secundo loco  
 in Petauiana & in hac etiam editione legitur, sed Græce tantum, quod vno  
 demum codice vsus foret, iisdem addidit. Quibus duobus eruditus accessit  
 Theodorus Marcilius, a quo Cæsaris huius IN SOLEM HYMNVS, seu,  
 quæ quarta hic comparet, Oratio, cum Notis ad nonnulla eius loca, est iti-  
 dem diuulgata: idque ex vno, vt is in Præfatione innuit, Toletano in Hispa-  
 nia, quod inde acceperat, exemplari, eoque mutilo & valde deprauato.  
 Cuiusmodi etiam, seu idem forte cum illo Toletano libro statui debeat,  
 Venetiis suo tempore apud D. Diegum Hurtadum, Cæsaris Caroli V Ora-  
 torem, existisse tradit Gesnerus; & e cuius cæteroquin Hurtadi Mendozæ Bi-  
 bliotheca prodiit, quod aliunde notum, Græca Iosephi, eaque inde merito  
 eidem inscripta, editio. Eiusdem vero IULIANI de Sole Orationis, quod  
 obiter monuerat quoque Gesnerus, facta pridem mentio fuerat ab illo inge-  
 niorem phœnice Pico, adducto etiam quodam inde, vt lectam eandem ab  
 illo constet loco, in suis ad Genesin, vbi de mundi creatione agitur, Heptaplis,  
 quando in Phœnicum Theologia est, vt scribit IULIANVS in Oratione de SO-  
 LE, emanare lucem corpoream ab incorporea natura. Alias dein quasdam, e-  
 asque antea ineditas, IULIANI Epistolas Græce, Lugduni Batavorum, an-  
 no superioris seculi XVII, prodiisse, ex editis Bibliothecarum collectionibus  
 accepi: vnamque postea Græce & Latine cum Rigaltii Notis, nempe ad Ale-  
 xandrinis, simul cum Funere eius Parasitico, primum Parisiis, anno huius se-  
 culi primo, vulgatam constat: quæ dein in Petauiana editione ab eodem Ri-  
 galtio, e Bibliotheca Regia emendata, ac in duas Epistolas, quæ ibi & in hoc  
 itidem opere comparent, distincta legitur. Eos vero IULIANI editores  
 excepte dein feliciori fato, vir aliis multiplicis doctrinæ scriptis ab eo libris hac  
 ætate merito celebratus, Dionysius Petauius; qui Flexiæ, anno huius seculi  
 XIV, tres IULIANI ORATIONES PANEGRICAS: vnam nem-  
 pe in Constantium Imperatorem; alteram in Eusebiam eius coniugem, tum  
 primum e Manuscriptis Bibliothecæ Regiæ erutas; postremam vero, quæ de  
 eiusdem Constantii gestis, a Cantoclaro, sed Græce tantum, vt paullo ante  
 diximus, fuerat edita, tertia tamen parte auctiorem ac emendatiorem, easdem-  
 que singulas Latina versione ac Notis a se illustratas, dedit. Vnde postea et-  
 iam idem est inductus, vt, quam in Synesio ac Themistii Orationibus diuulgan-  
 dis præstiterat operam, eandem ad omnia IULIANI huius monumenta, par-  
 tim adhuc in forulis Bibliothecarum delitescencia, publicanda, studiose & lau-  
 dabiliter conferret. Id testatus vtique fuerat in Notis ad Themistium, quem  
 primum anno huius seculi XIX edidit, sed cuius ea de re verba in postrema  
 illius Auctoris editione sunt omissa. Vbi enim locum ex inedita hæctenus

Lib. II. c. I.  
p. 13. Tom. I.

Ep. LVIII.  
& LIX.



P R A E F A T I O.

*in Addenda.* IVLIANI ad S. P. Q. Atheniensium Oratione seu Epistola adtulisset, addit:  
*ad Not. in eam nos Orationem cum aliquot aliis accepimus ab humanissimo eruditissimo-*  
*Themist.*  
*p. 728. edit. que viro Patritio Iunio Londinensi Regia Bibliotheca preposito, quas propediem,*  
*in 40.* *fauente Deo, cum reliquis Iuliani operibus publicare decreuimus.* Quod ta-

men ab eo duodecim post annis, seu anno M DC XXX est demum præstitum; quo Parisiis itidem omnia huius Imperatoris opera, partim antehac edita, partim tunc primum e manuscriptis eruta, & ad horum fidem (hæc omnia enim præfert libri titulus) accuratissime castigata, Græce Latineque cum Notis prodierunt. E quibus autem liquet, non præcipiti quodam consilio, aut subitaria opera, ad hanc IVLIANI editionem accurandam, impulsu fuisse eundem Petauium; sed qui multis ante annis id partim iam egerat, partim se in id intentum publice declarauerat; immo qui, vt ex antedictis liquet, ad hoc opus suscipiendum obstrictus dudum tenebatur. In hanc vero operam vt quis idoneus ad eam cum laude præstandam incumberet, optauerat alicubi in Aduersariis, diligentissimus optimusque talium censor, Barthi-

*Lib. I. cap. XII. p. 25.* us: *Qui IVLIANI Imperatoris opera denuo edat, & Latinitate noua (siquidem talibus hodie lenociniis opus est, vt emtorem libri nanciscantur, aut typographum quoque) induat, non ille operam ludat: sed sagaci etiam sit ingenio.* Quibus autem subsidiis instructus id adgressus sit Petauius, indicat ipse sub finem Præfationis, quæ ante eius Notas hic in appendice legitur: vbi partim e Christianissimi Regis Bibliotheca, partim e Londinensi, cum ea, quæ iam prodierant, multis emendatiora locis, quædam etiam auctiora, cuiusmodi sit Oratio IV in Solem, aut nonnullæ Epistolæ, se proferre adserit: tum reliqua, quæ nondum ante erant edita; cuiusmodi sunt in Matrem Deum, duæ in Cynicos, ad Athenienses præterea, ad Sallustium, ad Themistium, Orationes vel Epistolæ. Cui accesserunt e codice, qui Oxonii seruator, Barocciano, cum duæ Epistolæ LX & LXI, ad eum a Patritio Iunio itidem missæ; tum variæ ad reliquas Epistolæ lectiones, quarum in suis ad easdem Notis meminit passim Petauius.

Quo nomine autem quin de IVLIANO non solum, sed de litteris præclare meritis sit Petauius, haud licet vtique diffiteri. Præter hanc enim in colligendis vndique aut emendandis huius Imperatoris monumentis, collatam ab eodem, vt e modo dictis intelligimus, industriam; accessit eorum, quæ nec dum ante illum prodierant, aut Græce tantum, Orationum nempe & vnius alteriusue Epistolæ, Latina, quam adornauit, interpretatio; ac præterea additæ in illa opera, quibus eadem illustraret, Notæ. Vt enim elaboratis pluribus, in aliis etiam artibus ac disciplinis, commentationibus, magnam exquisitæ diffusæque doctrinæ laudem promeruit; ita singulari eum fuisse in vertendis e Græco in Latinum sermonem veterum scriptis, facultate; idem non IVLIANO solum, sed Synesio quoque ac Themistio, ab illo impensus labor luculenter vtique comprobauit. Vnde etiam idem, cum Casaubono, tanquam duo hac ætate præstantissimi in ea re artifices, quique omnium optime de his possent iudicium ferre, a viro summo primoque hodie litteratæ Galliæ ornamento, Petro Daniele Huetio, inducitur Petauius: quibus nempe omne, de optimo interpretandi genere differendi statuendique, in erudito ac eleganti ea de re Dialogo a se edito, is arbitrium defert. Equidem

P R A E F A T I O.

dem cum vere Romanus est & castigatus eiusdem Petauii sermo ; tum idem nec Græcis nimium Auctoris verbis, seu seruiliter adstrictus, nec vero ab iis longius, quam par est, recedens, aut alioquin redundans: vt inde fidi simul ac disertis interpretis laudem, quam pauci vtique, qui eam eruditionis partem excoluerunt, sunt hactenus consequuti, haud eidem denegare liceat. Neque ideo tamen perpetuo, aut vbique, eandem ab eo in hac IVLIANI, quæ adtigi, operum interpretatione retentam, licet statuere ; aut eum, seu humanæ conditionis, seu illius, quæ accuratissimis etiam scriptoribus quandoque solet obrepere, incuriæ vitio, nusquam impegisse. Cuius vtique rei, seu haud vnus lapsus vestigia, vel ex iis, quæ hic infra ad primam Orationem prodeunt, observationibus, erunt cuius, vt opinor, manifesta ; e sequentibus autem meis ad reliqua huius Imperatoris opera adnotatis, citra vllam tamen, qua is inde sit onerandus, contumeliam, luculentius adhuc constabunt. Vnde ea, & quidem, quæ non a proprietate solum Græcarum ibidem vocum discedunt, sed subinde totum loci sensum inuertunt, ad faciendam clarissimam eius rei fidem ; aut vero ad quampiam incitiæ vel incuriæ notam ei inde, præter alia viri in litteras merita, inurendam, non hic ambitiose congeram ; quæ suis demum locis, vbi id res omnino exegit, a me nec fastidiose animaduersa, reperiet Lector. Notas vero eius ad eadem IVLIANI opera quod adtinet, haud immerito, quod vtique dissimulare hic non licet, maior in iisdem concinnandis diligentia & accuratio præstari ab eo, aut expectari debuit: qui in colligenda, versanda, ac dein publicanda Augusti illius Scriptoris monumenta, diu ac studiose incubuerat ; ac præter eximiam Græcarum litterarum cognitionem, pluribus erat doctrinis, vnde eadem opera opportune ac præclare illustrarentur, exaggeratus; otio insuper eam in rem fruebatur amplissimo. Id enim omnino & auctoris dignitas, & adfluens passim aut latens subinde in iisdem eius scriptis doctrina & eruditio, ac inde sensus quandoque reconditi; aut ipsa, de quibus agebatur, rerum, quæ propius penitusue elucidari merebantur, tractatio, ab eo flagitabant. Adeo vt quamquam haud pauca, & erudite, commode sint in iisdem Notis ab eo animaduersa, seu ad constituendam genuinam loci lectionem, seu ad verborum sensum, aut quandoque ad ritum quempiam minus obuium in iis eruendum; at longe plura eidem indicta, quæ haud minus perplexa aut retrusa, aut alioquin adtentione digna, luce omnino ac notatione aliqua indigebant; neque ab eo, qui interpretandi non solum, sed enarrandi etiam hunc Auctorem prouinciam pridem susceperat, omitti, sine piaculo ferme dixerim, debuerant. Ne ea iam hic attingam, quæ secus etiam, seu minus vere vel adtente, in illa tenui cæteroquin & parca Notarum congerie, sunt ab eodem prodita. Quarum autem rerum, quum ad IVLIANI Cæsares olim commentarer, facta est a me haud semel commemoratio; idque obuiis tum certissimisque documentis abunde etiam, vt opinor, comprobatum. Quod vel meæ itidem ad primam Orationem obseruationes, etsi adhuc paullo diligentius in eum & sequentem eiusdem Constantii Panegyricum, e quibus fit totius operis auspiciam, elucidandum incubuerit Petauius, passim indicabunt; liquidius vero etiam reliquæ illius Imperatoris lucubrationes, nostraque ad easdem adnotata. Quam itidem commentandi rationem ar-

P R A E F A T I O.

bitrariam, quæ nempe Lectorem, & quidem hiantem, frequenter destituit, nec auctoris sequitur, vbi maxime iis insistendum fuit, vestigia, in enarrandis aliis Auctoribus, Themistio, vt de Epiphanio iam nihil dicam, & Synesio, tenuisse ferme eundem Petauium videas: (vnde postremo ac erudito ex eadem societate ac domo Themistii editori, suas adnotationes & glossas Petavianis adnectendi data est occasio) nisi quod is ad illustrandum explanandumve IULIANVM adhuc longe parcius, ac vbi id minime fieri decuit, suam contulerit industriam vir doctissimus.

Quum autem eadem, quæ prodiit ante annos sexaginta & quod excurrit, Petauiana horum IULIANI operum editio, haud amplius venalis prostraret in librorum officinis; inde de eadem typis renouanda Lipsiæ, in nobili illo doctrinarum haud minus ac aliarum pretiosarum mercium emporio, suscepta est demum cogitatio. Cuius equidem rei, cum ab ipso, qui id iam agebat, librario; tum a viro, in quem litterarum illic salus, dignitas, & incrementa potissimum incumbunt, & de quo plura mox dicenda venient, Friderico Benedicto Carpouio, datis tum primum ad me litteris, certior sum factus; quibusque vt symbolam, ad ornandam eandem editionem, conferre non refugerem, humanissime inuitabar. Nec vero eorum eram omnino immemor, quibus, dum ad IULIANI Cæsares a me in Gallicam linguam conuersos & explanatos præferer, me olim obstrinxeram: quod nempe vniuersa Augusti illius Scriptoris opera, cum antiquis libris a me haud indiligenter collata, & mea qualicumque industria, si Deus aliquando otium ac longiorem vitæ vsuram concederet, illustranda, forem in lucem emissurus. Quamquam dum aliis dein curis, vel negotiis, vel alioquin migrationibus, aut litterariis etiam laboribus, quos prius exantlare constitueram, me distentum vidi; inde etiam factum sit, vt intra vnâ destinationem sedisset mihi hætenus omne illud hunc Auctorem a me emaculatum, ac, vt itidem constitueram, explanatum, quandoque diuulgandi propositum. Accedebat, quod illo maxime tempore, quo ea de re, vt modo dixi, ac de suscepto nouæ IULIANI editionis consilio, interpellabar, in alia quædam scripta mea elucubranda vel perpolianda eram horis subcisiuis intentus, quæ Amstelodamensi præstantis VVetstenii prælo, cui erant iam addicta, breui subdere constitueram. Haud eo minus tamen amicæ viri, maxime cuius dudum mihi nota erant insignia in litteras ac litteratos merita, etsi inopinatæ petitionis, quam honeste eludere aut prolatare neutiquam deberem, rationem mihi continuo habendam duxi. Ita sepositis vel abiectis, quæ me tum ab eo instituto dimouere cæteroquin, neque immerito, poterant, cogitationibus; maxime, vt maiori aliquando ad eam rem, ac pro Auctoris dignitate, meaque qualicumque existimatione, obeundam, apparatu instructus accederem; vt eam tamen subirem operam, quæ IULIANVM mea qualicumque cura plurimis mendis repurgatum, neque paucis locis integriorem daret, me promptum paratumque sum ad sensus.

Quum enim in Anglia, ante annos sat multos, legationem obirem, eadem illius Imperatoris opera, cum antiquo codice annorum circiter quingentorum, e diuite viri excellenti doctrina & ingenio, quoque vtebar familiariter,

P R A E F A T I O.

ter, Isaaci Vosii Bibliotheca deprompto, conferre mihi eius beneficio licuit; cuius libri vsum, quod idem plures, de quibus facta in superioribus mentio, ἀνεκδότως Libanii Epistolas contineret, mihi e Britannia in Galliam ablegato, vir singulari humanitate haud minus ac eruditione officiose concessit. Complectebatur autem ille codex omnia, etsi haud eodem ordine, quæ Petauiana vel hæc editio exhibet, IULIANI opera; nisi quod pauca abessent paginae, quibus vltima pars Orationis in Solem, vti id obiter iam antea innui, & prior sequentis in Deum Matrem, fuerat descripta. E quo ceteroquin codice, quæque illum consulendi mihi primum occasio exstitit, excerptæ probæ aliquot lectiones, quas opportune ad Cæsares a me in Gallia, lingua ibi vernacula, editos & illustratos, (vt tum ad eosdem facta est a me mentio) adnotare, indeque veriores quorundam locorum sensus eruere mihi licuit. Quod beneficium quoque idem codex, in alijs eiusdem Imperatoris operibus recensendis, mihi subinde impertituit; vt haud vnas ex eodem lacunas, quas in iis reliquerat Petauius, supplerem. Quod ne vbique tamen fieret, obstitit subinde euanida omnino alijs in locis, in quibus deficiebant itidem Petauiani codices, huius quoque libri scriptura. Neque minus tamen eundem reliquis omnibus, seu Gallorum Regiæ, seu Londinensis, aut Oxoniensis etiam Bibliothecæ scriptis, qui IULIANI opera exhibent, libris, quibus vsus est Petauius, aut quos aliunde nactus est, omnino præstare liquet. Erat præterea, quum Romæ ante complures annos agerem, collatus a me ibi Misopogon, cum codice chartaceo Regiæ Christinæ, etsi non adeo bonæ frugis, cui insertæ erant in contextu, & ad oram, aliæ subinde lectiones, quæ ad editas ferme accedebant. Vltima vero IULIANI Epistola ad Theodorum quendam *Ἀρχιερέα* scripta, eaque Græce tantum, ob frequentes in eadem lacunas, non solum in priori P. Martinii, sed in Petauiana etiam editione vulgata, e codice quodam Leonis Allatii, quem is ibidem mihi Romæ suppeditauit, (quo, præter variam Græcorum opusculorum *συναγωγήν*, eadem cum nonnullis alijs huius Imperatoris Epistolis continebatur) integrior a me, repletis nempe hiatus, edita; vt ei quoque Latinam interpretationem, qua hæctenus caruit, addere continuo licuerit. Exstabat quidem illa etiam in alio codice chartaceo, præter plures IULIANI editas, vti & Basili, Chionis, Aeschinis, Apollonii Tyanei, Epistolas, quem in Bibliotheca Isaaci Vosii τῶ μακαρί- τῳ versare mihi itidem contigit; sed cum iisdem lacunis, quæ in Petauiana editione comparent. Dum vero nuper Parisiis agerem, nactus ibi sum forte apud Bibliopolam IULIANI Cæsares (quos ibi paullo ante iam vulgaueram) a Cantoclaro primum, anno, vt supra diximus, MD LXXVII editos; quibus adscriptæ erant litterata manu plures emendationes aut variæ lectiones, eademque ferme, quas memoratus supra codex Vosianus exhibet, & quarum inde a me facta fuerat ad illum elegantissimum libellum mentio.

Et hæc quidem mihi erant ad manum subsidia, vnde noua hæc, quæ Lipsiæ, etsi haud meo quidem nutu, meque in alia tum intento, foret suscepta, IULIANI operum editio illustraretur. Quod a me etiam haud illibenter, ac pro temporum meorum ratione, præstitum, & ea quidem, quam mihi præscripseram, quæque a sanioris in litteris, nec nimium confidentis iudicii, vitiis religiose seruari solet, lege; vt nihil scilicet in ipsis Auctoris verbis

P R A E F A T I O.

immutarem aut supplerem, nisi quod certissima veterum, quos dixi, librorum fide niteretur. Quam viam tenuisse quoque in diuulgandis huius Imperatoris monumentis Petauium, docent Notæ eius ad calcem operis, aut subinde ad oram variorum locorum adscriptæ; tum expressa eius ea de re verba, in Notis ad priorem Panegyricæ Orationis, quam publicauerat iam ante Cantoclarus, ipse autem cum duabus aliis tunc in lucem protulit, editionem, quæ anno, vt antea vidimus, huius seculi XIV prodiit. Vbi enim egisset de manuscriptis, quibus ad repurgandam illam Orationem vsus tum esset, codicibus, qui ipsi tamen non vbique essent sani, sed quorum inde loca ex coniectura possent fere restitui, addit: *ac nihil tamen idcirco, præterquam quod in MS illis esset, rescribere aut immutare decreuimus. Id quod ex veteri ac solemnî nostro instituto facturos nos pridem recepimus. Quare, quicquid aliter, atque in priori editione est, in hac nostra deprehenderit, scito id veterum, vt dixi, consensione & auctoritate factum.* Quæ ideo hic a nobis adducuntur, quod idem de hac noua omnium huius Auctoris operum editione dictum similiter volumus: adeo, vt quamquam coniecturis haud infrequenter, & iis quandoque indubitatis ferme, esset locus; non easdem continuo, amotis, quæ veterum librorum auctoritate & consensione confirmatæ sunt, lectionibus, IULIANO adserendas, sed ad Observationes reiciendas putauerimus, vbi de iis moneri posset a nobis Lector; is autem de singulis pro captu suo, aut pro eorum pretio, statuere. Quod itidem in Latina Augusti illius Scriptoris operum interpretatione, quam maiori ex parte Petauius, ac aliunde P. Martinius & C. Cantoclarus adornarunt, est a nobis obseruatum: ne in eadem nempe interpolanda, quod apud viros cordatos haud vnquam laudis cesit, laboraremus; sed, qui in ea forte essent nec infrequentes naxi, iidem in nostris Observationibus, ne incauto vel minus exercitato in hisce litteris Lectori imponerent, debita, neque tamen acerba, animaduersione notarentur. Id solum nobis omnino non concessum solum, sed velut præscriptum existimauimus; vt, quæ lacunæ, maxime in Petauii interpretatione, subinde occurrebant, quod is loci sensum, etsi interdum ob vnâ modo vel alteram vocem male constitutam aut omissam satis obuium, non esset adsequutus, aut vero manca essent ibi Græca ipsius Auctoris verba; vt eæ, inquam, lacunæ, vbi plana nobis visâ est eorundem verborum ratio, aut illas e scriptis libris in ipso IULIANO suppleuimus, in Latina etiam versione, etsi alio a Petauianis, seu Italico, vt aiunt, typorum genere, complerentur. Quod similiter a nobis factum est in Latina memoratæ paullo ante postremæ ad Theodorum quendam ἀρχιερέα Epistolæ, quam ibi dedimus, interpretatione. Quamquam, quod hic obiter monendum est, exstet vnus adhuc vel alter in Græcis Iuliani verbis id genus hiatus seu asteriscus: cui equidem nullum e scriptis veteribus, quos vel excusserat Petauius, vel ego consulueram, libris, remedium adfulserat; sed qui aliunde, e nonnullis puta apud Suidam, qui ad ea suppresso IULIANI nomine respexerat, locis suppleri etiamnum potest: prout de quibusdam Heracliti apud hunc Auctorem verbis, opportune iam ab eruditissimo Kuhnio in Animaduersionum ad Pollucem, sed a quo ipsum Pollucem emaculatum hiantes exspectamus, Specimine est obseruatum. De quibus autem in nostris ad IULIANVM adnotatis agitur.

Hanc

Orat. VII.  
pag. 226.

P R A E F A T I O.

Hanc enim postremam a nobis operam haud minus flagitare videbatur noua huius Augusti Scriptoris editio: nempe, vt non eadem solum prioribus haud paullo emendatior vel integrior prodiret, sed insuper Observationibus accuratis illustrata. Adeo, vt qui labor mihi in explanandis eius Cæsaribus haud infeliciter olim cesserat; idem nunc a me, ad explicanda ornandaue reliqua eius opera, impigre haud minus & alacriter conferretur. Quo etiam studio eo magis accendi poteram, quo perspecta mihi erat intimius, ex iis ipsis in illos Cæsares curis, aut vero ex adtenta aliarum eiusdem Imperatoris lucubrationum lectione, quæ in iis esset, vt hæc earundem decora supra iam adtigi, vel singularis elegantia, vel profluens, aut etiam recondita sapius, diffusæ eruditionis & doctrinæ copia & varietas: adde, quod hic nobis, non spicilegium dicam, sed lætissimam messem, reliquisset Petauius. Quæ singula vt erant verissima, ac me haud leuiter poterant pertentare; ita haud prouide minus & opportune illud occurrebat, amplum esse, quod decurrendum mihi probe intelligerem, vbi id semel forem ingressus, stadium: ad quod proinde exigeretur sedula & peruicax contentio; magna virium, nec minor metam feliciter contingendi fiducia; illinc vero ingrauescens ætas, minus perferendis laboribus, aut spei in longum ducendæ, idonea; intercisâ aliis longe curis, immo iis debita, dum officium sequor, mea tempora; inde frequens otii penuria; addo, hoc ipsum aliis etiam litterariis laboribus, quod obiter supra innuebam, tum a me iam addictum. Quibus & illud insuper accessit, vt eo ipso tempore, quo a Lipsiensi librario suscepta fuerat hæc IULIANI operum editio, aut ego ad eam ornandam inuitabar; alterius adhuc, de qua nec somniando vnquam cogitaueram, operæ, commentandi nempe Callimachi Hymnos, quibus, vt alia iam mittam, varii Theologiæ seu superstitionis Gentilium ritus enarrantur, data sit mihi aliunde, cui sim quoque obsequutus, occasio. Sed illud me vel maxime, nec immerito quidem, suspensum detinebat, quod præter mea ad dictos IULIANI Cæsares adnotata, aut emendata ad veteres libros singula eius opera, nulla plane foret a me congesta hæctenus, ad illa explananda vel illustranda, rerum vel notationum, vt fieri alioquin solet, seges: essemque proinde ab omni, de quo alia tamen futura esset hominum opinio, (eorum maxime, qui me olim de noua illius Auctoris editione fidem quodammodo dedisse nouerant) requisito ad eam rem pro dignitate obeundam prouisu plane imparatus. Vicinitatem hæc omnia insita mihi a puero, neque cum ætate adhuc deseruescens, bene de litteris merendi cupiditas; vt eam, cum IULIANVM, tum, quem ei comitem simul ac aduersarium addendum hic curauit, CYRILLVM, commentandi illustrandique prouinciam haud grauatim susciperem.

Quo consilio autem hic itidem prodeant, meque eius rei auctore, decem <sup>De CYRIL-</sup> CYRILLI contra IULIANVM libri, haud multis, vt opinor, nunc <sup>LI aduersus</sup> erit mihi dispiciendum. Illud forte mirari potius subeat, cur a prioribus IULIANI editoribus, & a Petauio maxime, qui in id potissimum, & diu quidem ac sollicitè, incubuit, vt omnia eius opera conquireret ac diuulgaret, nulla habita sit eius rei ratio. Quum tamen haud ignota eidem foret eorum, quos aduersus Religionem Christianam *ὁ παραβάτης* Imperator scripserat, librorum, apud Gentiles iuxta & Christianos præci illius æui scriptores, commemo-

P R A E F A T I O.

moratio. Equidem id obiter tantum, & quo virum præstantem redargueret, qui paullo liberius veteres Ecclesiæ doctores, a quibus proscissus fuerat IVLIANVS, perstrinxerat, tangit in Præfatione, quæ hic in Appendice Notis eius præmissa legitur, Petauius: nempe quod duo sint omnino Græci Patres, quorum existit contra eundem IVLIANVM Orationes, Gregorius Nazianzenus & Cyrillus; quorum alter, CYRILLVS scilicet, haud paucis post IVLIANVM annis vixit ac scripsit. Quum tamen aliæ adhuc existant, quod eundem non fugit, qui earum etiam obiter a libi meminit, illorum Græcorum Patrum, sicut Chrysostomi duæ in S. Babylam, & vna in duos sub IVLIANO martyres, Iubentium & Maximinum, Orationes seu Sermones; quibus multis, & acerbe quidem, nec immerito tamen, in eum Principem, eius impietatem, superstitionem, nefandas artes, in Christianos sæuitiam, inuehitur ὁ χρυσορρήμων. Adde, quod dispar esset haud parum Nazianzeni Theologi & Alexandrini Antistitis scriptorum contra IVLIANVM ratio: quum a postremo, seu CYRILLO, non Orationes adeo siue in eum ΣΤΗΛΙΤΕΥΤΙΚΑ, sicut ab altero, quæ etiamnum leguntur, sint conscriptæ; quam hi decem libri, & quidem ὑπὲρ τῆς τῶν Χριστιανῶν εὐαγγέλιου θεσηκείας, πρὸς τὰ τῶ ἐν ἀθέοις Ἰβλιανῶ, Pro sancta Christianorum Religione, aduersus impij IVLIANI libros, quibus eos velut, vt vulgo aiunt, κατὰ πόδα, grauissima disputatione sibi confutandos proposuit. Ad quos autem IVLIANI libros respexerat in Laudatione huius Imperatoris Funebri Gentilis eidemque familiaris Libanius, πολλῶν δὲ θεσῶν νόμων, βιβλίων τε συγγραφαὶ βουθῶντων θεοῖς legum autem multarum sanctiones, nec non librorum conscriptiones, Diis succurrentes: e Christianis vero Scriptoribus idem, de quo modo, Nazianzenus; qui sub initium ferme primæ in hunc Παραβάτην Philippicæ, perstringit τὰς ἐναγγεῖς ἐκείνῃς λόγῳ καὶ λήρῃς, impios & nefarios eius libros ac sermones nugatorios, quales nempe postremi generis existant, & de quibus supra egimus, in Solem, ac in Deorum Matrem Orationes. Ne aperta iam de iisdem IVLIANI aduersus Christianos libris, vel Hieronymi, de quo paullo post, vel Socratis, Theophanis, aut aliorum congeram hic loca, quæ in calce huius Præfationis, vna cum aliis veterum testimoniis, de illius Imperatoris lucubrationibus, reperientur. Verum cuius rei maiorem continuo fidem præstabunt iidem libri adhuc superstites; seu quod supra iam innui, pars eorum luculenta, in hoc ipso, quo iidem confutantur, CYRILLI opere. Ad quos proinde libros viri eruditi, qui omnia IVLIANI opera se diuulgare profitebantur, ac ipse vel in primis Petauius, peruolutandis veterum Ecclesiæ doctorum monumentis exercitatus, aduertere debuerant: aut, cur omnis a se præterita foret eorum ratio, haud prorsus reticere. Id enim opus, & Latine pridem, vna cum aliis CYRILLI monumentis, superiori seculo, ab Oecolampadio versum prodierat; & eodem anno, quo IVLIANVM Parisiis edidit Petauius, in eadem vrbe Græce primum, & cum noua interpretatione Latina, est a Nicolao Borbonio vulgatum. Id quidem in prima trium IVLIANI Orationum Panegyricarum, cuius paullo ante facta est a me mentio, editione, ac in ipso quidem libri lemmate, maximis litteris præfixerat Petauius, AB EO QVVM ADHVC CHRISTIANVS esset, scriptæ: ac in Epistola seu Præfatione iisdem præmissa, nullam excusationem

Post testi-  
monia de  
Iuliano.

Tom.  
V. ed. Sabil.  
fol. 438. seqq.  
ib. fol. 533.  
seqq.

pag. 255.  
Tom. II.

Epist.  
LXXXIV.  
Lib. III. Hist.  
Ecc. c. I. &  
XXIII.  
Chronogr.  
pag. 49.

P R A E F A T I O.

nem desiderare, quod daret illius Imperatoris monumenta, contendit; qui a scilicet eo tempore scripta ab eodem constet, quo sanus adhuc atque incorruptus esset, nihil iis ex consequuta morum peruersitate contagionis ac labis adflatum est. Mitto enim, quod tres illas Orationes, ut ex iisdem constat, & paullo ante vidimus, scripsit IULIANVS quum iam in Cæsarem esset a Constantio adscitus: ante quod tempus, dum priuatus adhuc litterarum ac Philosophiæ studiis operam daret Nicomediæ, occulte a Christianorum fide ad Gentilium superstitionem defecerat, in eadem mox in Ionia, ac dein Athenis, dum ibi adhuc Rhetoribus aut Philosophis Gentilium dat operam, confirmatus. Quod cum e Gentilibus itidem, eique coætaneis, Am-  
Lib. XXI.  
cap. II. p. 4.  
neg. Iul. p.  
173. 175. in  
Aedesio &  
Maximo.  
Lib. III. c. I.  
Lib. V. c. II.  
Orat. VII. p.  
228. seq.  
pag. 276.
miano Marcellino, Libanio, Eunapio; aut e Christianis scriptoribus, So-  
crate, Sozomeno, aliisque; tum ex ipsomet IULIANO, liquidum est omni-  
no ac manifestum: uti cum ex ea, quam de semet alicubi refert, fabula, quo-  
modo puerulus adhuc a Diis, & nominatim a Sole ac Mercurio, sit educatus,  
& salutari Deorum cognitione imbutus; aut ex Epistola ad Athenienses, ubi  
dum in Regiam ad Constantium, a quo tum fuerat Cæsar nuncupatus, ten-  
dit, e quatuor quos habebat seruulis, unum suscepta ab eo erga Deos pie-  
tatis conscium, & occultum, quoad licebat, adiutorem exstitisse memorat. Vn-  
de quomodo tum sanus adhuc atque incorruptus esset, quod ibi ait Petauius, aut  
reuera Christianus, quum aliquot post annis, seu ab eo tempore, tres illas Ora-  
tiones conscripsit IULIANVS, licet cuiuis statuere. Verum neque id postea  
deterruit Petauium, quin reliqua eiusdem Imperatoris opera, & sic ea quoque  
diulgaret, quæ ut in Epistolis, Cæsaribus, Misopogone, atrocibus quando-  
que in Galilæos seu Christianos, eorumue fidem ac mysteria, conuiciis & ca-  
villationibus sunt referta. Quo minor inde labe hic erat nobis metuenda,  
aut aliqua excusatione præmunienda huius, quod a CYRILLO insertos ex parte  
& confutatos simul IULIANI libros exhibet, operis publicatio; cuius aliquot  
iam exstabant, sine vllius offensione, a viris doctis & piis procuratæ, hoc &  
superiori seculo, Græcæ aut Latinæ editiones.

Quorum autem IULIANI librorum, quod obiter hic monendum,  
non eundem tradi a duobus, maxime tamen fide hic dignis, auctoribus nu-  
merum video. A CYRILLO enim, cui utique id non potuit esse ignotum,  
in hoc ipso, quo illos oppugnat, opere, seu eius proœmio, tres dicuntur ex-  
stare, καὶ δὴ ΤΡΙΑ συγγέγραφε ΒΙΒΛΙΑ, κατὰ τῶν ἀγίων Ἐυαγγε-  
λίων, καὶ κατὰ τῆς εὐαγγῆς τῶν χριστιανῶν θρησκείας; TRESQUE LIBROS  
contra sancta Evangelia, & venerandum Christianorum cultum, composuit.  
Quum tamen plures, seu septem libri dicantur ab Hieronymo, qui ætate IV-  
LIANO propior, & quo puero iidem, ut ex alio eiusdem loco licet colligere,  
sunt conscripti. Id enim de iis tradit in Epistola ad Magnum Romanum Ora-  
torem: IULIANVS Augustus SEPTEM LIBROS in expeditione Parthica  
aduersus Christum euomuit, & iuxta fabulas Poetarum suo se ense lacerauit;  
si contra hunc scribere tentauero &c. Ut equidem haud facile liceat nunc statu-  
ere, cui potior fides hic haberi debeat; aut quomodo, qui exstabant Hiero-  
nymo æuo septem huius Apostatæ contra Christianorum fidem libri, iidem  
paullo post, sub CYRILLO, qui Hieronymo fuit suppar, & aliquot annis an-  
te eius obitum iam ad Alexandrinam sedem euectus, ad tres sint redacti. A

Socra-

*Dum adhuc  
essem puer  
&c. ac subi-  
to in ipsa  
persecutio-  
nis ardore  
Iuliani num-  
tatus est  
interitus.  
In Habac.  
cap. III.  
Epist.  
LXXXIV.*



P R A E F A T I O.

Socrate quidem & Theophane, ut & a Gentili Libanio, eorundem librorum, quod supra innui, sed in genere, nullo adscripto, quotiidem fuerint, eorum numero, fit mentio; nisi quod a Socrate alicubi e tertio illius operis libro quaedam verba adducantur. An vero ab eodem Nic. Borbonio, qui primus illud opus Græce Latineque, ut paullo ante dixi, in lucem emisit, quidquam ea de re sit monitum, aut aliqua huius inter duos illos gravissimos testes diversitatis ratio reddita, me fugit, qui illam editionem non posideo, nec inspexi hæctenus; certe in Notis, quæ ad primum CYRILLI librum ex eodem Nic. Borbonio adducuntur in Parisiensi Græco Latina, quæ aliquot post annis prodiit, omnium huius Antistitis operum editione, nihil ea de re adnotatum video. In quo cæteroquin, quod hic exhibetur, scripto, non commemorati solum IVLIANI aduersus Christianos libri; sed iisdem, quos ibi adducit, in varias partes dissectis, præmissum continuo, vnde eorum auctor proditur, illius nomen; quibus suam dein opponit confutationem CYRILLVS. Neque enim refugit ille aperto velut marte cum eo in arenam descendere; viriumpalam & lacertorum aleam subire; non vero eundem ex occulto velut adgredi induxit, aut, quem debellaret, sibi aduersarium fingere, vel armis a semet suppeditatis instruere, aut vim eorum ac robur eludere vel dissimulare. Quo equidem instituto eo minus dubiam, ac illustriorem, de illo acerrimo Religionis Christianæ hoste, a se inuictis veritatis Euangelicæ telis confosso & prostrato, victoriam consequuturum, haud immerito censuit. Adeo ut CYRILLVM inde ab illo consilio, ipsos nempe IVLIANI libros suis contra eum disputationibus inferendi, nequiquam reuocare potuerit ea, quæ paucis demum ab eius morte annis, nempe CCCCXLIX, a Theodosio iuniore prodiit, quæque ab initio ferme Iustiniani Codicis legitur, constitutio, qua sancitur, *ut omnia, quæcunque Porphyrius sua pulsus insania, aut QVI-VIS ALIVS, contra religiosum Christianorum cultum conscripsit, apud quemcunque inuenta fuerint, igni mancipientur*; ac similiter a Iustiniano Nouell. XLII. cap. I. qua, sicut Nestorii, ita Seueri scripta, ne penes aliquem Christianum maneat, prohibentur; & quidem addita eius rei ratione, *quia predecessoribus nostris Imperatoribus, in suis Constitutionibus visum est statuere similia his, quæ dicta sunt & scripta a Porphyrio in Christianos*. Ut proinde haud mirari subeat, si eadem vel Porphyrii, vel aliorum e priscis Gentilibus contra Christianos, ut Celsi, aut Hieroclis, aliorumue scripta dudum perierint, ut etiam a Photio præterita sit omnis eorum mentio; quodque idem fatum IVLIANI in eodem argumento libris contingerit, nisi quatenus iisdem in hoc CYRILLI opere etiamnum comparent. Qua de re, & ante latam illam a Theodosio iuniore sanctionem, præclarus exstat locus apud Chrysostomum Oratione II. in S. Babylam, vbi ipsis etiam Gentilibus abolitorum eorundem contra Christianos librorum causa tribuitur. Postquam enim dixisset os illud aureum, Philosophos & Rhetoras inter Gentiles, alias magni nominis, vbi contra Christianos scripserint, ludibrium omnibus debuisse, neminem ne infantem quidem ad se pertraxisse; addit, *ἀλλὰ τοσῶτος ἐστὶ τῶν ὑπ' αὐτῶν γεγραμμένων ὁ γέλως, ὥστε ΑΦΑΝΙΣΘΗΝΑΙ ΚΑΙ ΤΑ ΒΙΒΛΙΑ πάσαι, καὶ ἅμα τῷ δεχθῆναι καὶ ἀπολέσθαι τὰ πολλὰ. εἰ δὲ πᾶσι καὶ εὐρεθῆι διασωθῆν, παρὰ χριστιανοῖς τῶτο σωζόμενον εὐροί τις ἂν,*

Lib. III.  
cap. XXIII.

Leg. III. Cod.  
de Summa  
Trin.

Tom. V. ed.  
Saul.  
pag. 444.

PRÆFATIO.

αὐ, verum tale est eorum ab iis (illo nempe in genere) scriptorum ludibrium, ut & IPSI LIBRI pridem EVANVERINT; & multi ex iis simul ostensi sint & perierint: ac, si qui forte servati deprehendantur, apud Christianos eosdem servatos quis reperiet.

Quod proinde horum etiam, quos aduersus Christianorum Religionem IVLIANVS elucubrauit, librorum, vt modo innuebam, fatum existit, vt ii nusquam cum reliquis eius operibus, quæ ad nostram vsque ætatem sunt transmissa, in antiquis codicibus reperiantur: nec alibi proinde, quam in hisce, qui eos refutant, CYRILLI libris supersint. Quomodo etiam de Celsi contra Christianos commentatione, duobus libris distincta, eaque inscripta Ο ΑΛΗΘΗΣ ΛΟΓΟΣ, Verus Sermo; aut duobus Hieroclis aduersus Christianam fidem, qui ΦΙΛΑΛΗΘΕΙΣ similiter erant signati, libris e præclaro demum vel Origenis, etsi non eadem omnino via, (seu præmissis iisque dislectis illius Philosophi, cui suas dein defensiones sigillatim subnecteret, verbis seu cauillationibus) contra eundem Celsum opere; aut Eusebii contra Hieroclem, qui itidem adhuc exstat, libello, liquet: in quo is statim ab initio Lectorem ad illud Origenis scriptum ablegat, quo abunde ac plane veritas & fides Christiana ab iis Gentilium accusationibus & fallaciis sit vindicata. A quo tamen Eusebio, qui subinde in aliis suis, quæ adhuc versamus, operibus, librorum a Porphyrio contra Christianorum Religionem scriptorum meminit, alibi nonnulla etiam ac insignia inde adducit loca: a quo, inquam, iidem sunt refutati peculiari opere, & quidem libris triginta; sed e quorum numero viginti tantum ad se peruenisse tradit Hieronymus, nunc autem omnes interierunt. Quod similiter contigit elaboratis a Methodio & Apollinari fortissimis, vt Apollinaris scripta nominatim vocat Hieronymus, aduersus eundem Porphyrium, libris: de quibus, ac Origenis insuper contra Celsum commentario, alibi adhuc ait, scripserunt contra nos Celsus atque Porphyrius: priori Origenes, alteri Methodius, Eusebius, & Apollinaris fortissime responderunt. Quorum Origenes octo scripsit libros: Methodius vsque ad decem milia procedit versuum: Eusebius & Apollinaris viginti quinque & triginta volumina condiderunt. Ita tamen, vt ab Apollinari scriptos contra Porphyrium libros, Eusebianis eodem in argumento longe superiores existisse tradat Philostorgius. E quibus cæteroquin Porphyrii contra Christianos libris nonnulla loca, iis ætate haud paullo inferior, & CYRILLO cœtaneus, adducit Theodoritus in opere Ελληνικῆς Θεολογικῆς, & quidem eadem, vt obleruo, quæ iam adtulerat, indicatis modo locis, Eusebius. In hoc autem CYRILLI opere, vbi maxime il rei erat locus, plura quidem ex aliis Porphyrii commentationibus, vt de Historia Philosophorum, de vita Pythagoræ, ad Nemertium, de Abstinentia ab esu animalium, nusquam vero ex illius contra Christianos libris, referri loca; eorundem tantum iniectam obiter mentionem, video: Πορφύριος μὲν, ὁ πικρὸς ἡμῶν καταχέας λόγος, καὶ τῆς χριστιανῶν θεολογίας μονομαχίᾳ κατορχόμενος, Porphyrius ille, qui amarulentis sermonibus nos insectatus, Christianæ Religionis tantum non saltando illudit; alibi ab eodem, iuxta IVLIANVM, is dicitur τῆς καθ' ἡμῶν ἀθυροσομίας πατρὸς, petulantis in nos malevolentia pater. Ea proinde existit Christianorum aduersus illos maledicentissimos Porphyrii libros iustissima indignatio,

Præf. Lib.  
II. Chron.

Hist. Eccl.  
Lib. VI. cap.  
XIX. &  
Præf. Ev.  
Lib. I. p. 31.  
& Lib. V.  
p. 179.  
Socrat. Lib.  
III. cap.  
XXIII.  
De Scrip.  
Eccl.  
Epist.  
LXXXIV.

Lib. VII.  
cap. XIV.

Serm. II. p.  
493 & Serm.  
XII. p. 679.  
Tom. IV.

Lib. I. p. 28.

Lib. III.  
p. 87.

P R A E F A T I O.

Ed. 9te.  
Serm. VII.  
pag. 588.  
Tom. IV.

tio, & quidem postquam multum temporis in perlegendis Prophetarum, vt de eo tradit Theodoritus, scriptis contriisset, dum is ea condit in Christianos volumina, quæque indignatio peculiaribus, vt vidimus, Imperatorum sanctionibus est etiam confirmata. Adeo vt ea quoque, quæ illos fortissime impugnabant libros, veterum Ecclesiæ doctorum scripta omittenda, seu de manibus fidelium tollenda, potius censuerint; quam vt Porphyrianorum, iisue similium, operum memoria, vna cum iisdem, præclaris quamquam, Methodii, Eusebii, Apollinaris, quibus ea redarguebantur, lucubrationibus, ad posteros transmitterentur. Immo cuius elucubrati ab Apollinari operis, non adeo contra Porphyrium, quam contra hunc IULIANVM, cuius is etiam ætate vixit, & Gentilium Philosophos in genere, illiusque de Veritate inscripti, meminit Sozomenus, *ὅτι ἀγενής δὲ καὶ ΠΡΟΣ αὐτὸν ΤΟΝ ΒΑΣΙΛΕΑ, ἢ τοι τὰς παρ' Ἑλλήσι φιλοσόφους, ἐστὶν αὐτῶ ὁ λόγος, ὃν ὑπὲρ ἀληθείας ἐπέγραψεν, nec ignobilis est eiusdem liber, quem ADVERSVS IMPERATOREM ἔ Gentilium Philosophos composuit, quem de Veritate inscripsit;*

Lib. V.  
cap. XVIII.

quique, vt continuo addit, absque vlllo sacrorum librorum testimonio, ostendit eos vario errore deceptos secus, quam decet, de Deo sentire. Quod similiter, & quidem vt contra IULIANVM conditum ab eodem Apollinari scriptum, memorat Theophanes; cuius ea de re verba, quia non in omnium manibus versatur ille Auctor, & prima fronte ab illis Sozomeni abire aliquantum ea videntur, hic adscribam: *Ἀπολλινάριος δὲ μὲν θεία γραφὴ χρησάμενος ὕλη, χαρακτήρας δὲ τῶν ἀρχαίων μιμησάμενος, καὶ ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ λόγον συγγράψας, ὃν περὶ ἀληθείας ὑπέγραψε, πολλὰ τὴν Ἐκκλησίαν ὠφέλησε, Apollinaris ex diuina quidem Scriptura materiam (nempe non verba quidem, seu, quod ait Sozomenus, expressa eius testimonia, sed ipsa tamen argumenta) desumens, eodemque vetustiorum, quos imitatus est, caractere; libro, quem ADVERSVS IULIANVM condidit, inscripto De Veritate, Ecclesiam magnopere iuuuit.* Quale insuper testimonium de his ipsis CYRILLI contra IULIANVM libris perhibet

Chronogr.  
ed. Reg.  
pag. 40.

paullo post idem Theophanes, *ἀνατροπὴν δὲ Ο ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ ὁ δυσσεβῆς ἔγραψε τῶν θείων εὐαγγελίων, ἣν ὁ μέγας ΚΥΡΙΑΛΟΣ Ἀλεξανδρείας ἐν ἐξαιρέτῳ πραγματεία λαμπρᾷ ἐπανέτρεψε, impius IULIANVS sacrorum Euangeliorum confutationem scripsit, quam CYRILLVS, magnus Alexandria Antistes, selectis ἔ luculentis editis commentariis refutauit.*

Ibid. p. 44.

Neque certe leues erant rationes, quas ipsemet in Præfatione ad Theodosium Imperatorem tangit, quibus inductus grauisissimus Antistes, vt defensionem veritatis Euangelicæ aduersus pestilentissimum IULIANI scriptum susciperet. Ita enim, quod ille ibidem innuit, istud erat comparatum, vt ob petita crebra e sacra Scriptura, quæ ibidem conuelleret ὁ Παραβάτης, testimonia, tanquam eximie easdem sacras litteras nosset, incautis ac rudioribus imponeret: Gentiles autem eam hisce libris eloquentiæ vim inesse existimarent, vt a nemine e Christianis doctoribus euerri eadem posse arbitrarentur. Accedebat magna & velut adhuc recens IULIANI apud eosdem Gentiles auctoritas & opinio: quam ei non primi solum in orbe fastigii dignitas ac amplitudo conciliauerat; sed eximia ac insolita in eodem fastigio cum laudatissimarum virtutum, vti temperantiæ, continentia, &, iuxta Donatistas, sed

qui

P R A E F A T I O.

qui haud semel eo nomine sunt ab Augustino perstricti, iustitiae, aliarumue id genus commendatio; tum singularis exquisitae ac multiplicis doctrinae excitati-<sup>Epi. CV. & Lib. II. contra Ps. tit. n. 184.</sup> que ingenii praestantia. Vnde quum haud adeo multis ante annis, intento studio, & summo, quo flagrabat in eam a qua desciuerat fidem, odio, & quo etiam priorum ante se persecutorum saeuitiam vinceret, elaboratum fuisset ab eo illud aduersus Christianorum Religionem scriptum; non poterat non istud a Sophistis, aliisque Gentilium ea aetate doctoribus, ad anitam impietatem ac nefarium idolorum cultum adserendum, labefactanda autem Christianorum dogmata, obtrudi passim & iactari. Idque eo maiori in speciem colore & obtentu, quod idem omnibus illius Religionis, quam is impugnabat, mysteriis fuerat initiatus; quod in ordines etiam sacros fuerat aliquamdiu adsumptus; quod ita ab ortu, ad suscepti vsque ab eo imperii tempus, eandem, externo ad minimum cultu, fuerat professus; nec proinde, eiusdem scilicet impietatis cultorum iudicio, nisi de illius Religionis falsitate, ex interiori & accurata omnium illius fidei dogmatum Christianique ritus notitia, idonee & scienter conuictus, ad ea, & quidem quae iacere tum coeperant aut destitui, Gentilium sacra, defecisset. Immo vnde iisdem IULIANI libris plurimos, e Christianorum nempe numero, concussos, neque mediocre fidei detrimentum adlatum, tradit CYRILLVS. Adde, quod eadem CYRILLI aetate, nec dum forent plane sacra ista, vti ea de re paullo ante, in Romano orbe abolita; quod magnus adhuc esset passim Gentilium, & quidem in Oriente, aut in ipsa Aegypto numerus; ( prout Saturni adhuc apud Alexandrinos templi, vbi foeda ab aedituis eius commissa essent scelera, mentio fit in his libris ) immo frequens etiamnum ex eodem grege Sophistarum, Philosophorum, aliisque doctrinis aut disciplinis eruditorum copia: quales, & quorum supersunt etiamnum lucubrationes, Zosimus, iunior Victor, Rutilius Gallus, suppar iis Syrianus, ipse, aut qui proxime tantum obierat, Alexandrinus itidem Claudianus, aliique. Immo vnde CYRILLO aequalis, & quondam aduersarii, Theodoriti exstant scripti eodem in argumento, seu aduersus Gentiles sui aui, pro adserenda veritate Evangelica *Therapeutici*; & quidem, vt id in eruditissimi illius operis prooemio testatum facit, ad eosdem retundendos, qui familiaribus cum eo colloquiis, Graecorum fabulas admirantes, Christianorum fidem, & eorum, qui illam tradiderant, Apostolorum inscitiam ac barbariem habebant ludibrio. Vnde etiam a nefariis id genus vel Porphyrii, vel IULIANI, aliisque Gentilium, quae Christianorum fidem impugnabant, scriptis & cauillationibus confundendis abstinendum sibi ea & superiori aetate nequiquam existimarunt viri gravissimi: quod nempe omnia illorum, vt de hisce nominatim IULIANI & Porphyrii libris ait Socrates, sophismata abunde & luculenter in edito ab Origeno ea de re opere, essent iam repressa ac diluta; aut quod, iuxta eundem Socratem, ad rudes tantum ac imperitos, nequiquam vero apud eos, quibus e sacris litteris perspecta erat veritas, verba in iisdem libris fecisse censendus esset IULIANVS.

Adeo vt maximo quidem iure, & quidem multorum, vt ipsemet ait, rogatu, inductus sit Alexandrinus Antistes, vt IULIANVM Christianis, editis ea de re tribus, vt id ab eo dicitur, aut septem iuxta Hieronymum, vt vidimus, libris, proterue insultantem, non immanis solum erroris, ac foedisimae super-

P R A E F A T I O.

stitionis argueret; sed singularem insuper sacrarum litterarum, quas ille in iisdem adducebat passim & suggillabat, aut vero falsis & ineptis interpretationibus eludebat, imperitiam aut cauillationem omnibus palam faceret. Neque enim hic absurdas illas & aniles de Christianis fabulas iisdem obiiciebat Ὁ Παραβάτης, nocturnos nempe & illicitos conuentus; Thyesteas cœnas; nefandos & Oedipodeos concubitus; clandestinas in principem ac in salutem imperii publicam coniurationes; quæ toties in veterum Christianorum Apologeticis pridem reiecta & confutata, nunc in ea luce veritatis Euangelicæ, & is quidem, qui eandem fuerat tot annos professus, inter Christianos natus, altus, omnium inter eos sacrorum consors, reponere nunquam ausus foret vel adferere. Aliis utique artibus laceffendi ab eo erant Christiani, aliis machinis subruenda eorum fides: eamque in rem, receptos eorum mores, leges, mysteria, quocumque pacto vel obtentu, decebat criminari; nullum bonum factum, aut in sacris litteris recte & sapienter dictum, quod, uti de hoc eius in iisdem libris instituto loquitur alicubi CYRILLVS, non in malam partem detorqueret ac interpretaretur. Hoc institutum, hic scopus, hæc merces maledicentissimi operis, quo impios illos Christianæ Religionis cauillatores, Porphyrium & Celsum, non æmulari solum, sed superare contendit Ὁ Παραβάτης. Vnde etiam ita hos triumvirorum illorum furores tangit alicubi & coniungit Hieronymus: *discant ergo Celsus, Porphyrius, IVLIANVS, rabidi aduersus Christianos canes, discant eorum sectatores &c.* Hinc & Celsi legens hac in parte, ut

ex Origenis contra eundem libris liquet, vestigia IVLIANVS, Christianos redarguit, tanquam qui non a Gentilibus tantum, sed a Iudæis quoque, e quibus orti sint, abhorrentes, diuersos ab iis ritus colant; immo neque a Iudæis solum, quod ii præ se ferrent, sui temporis, sed a Mosaicis, uti & a Prophetarum, præceptis ac institutis recedant: id quod e sublato apud Christianos sacrificiorum, circumcisionis, sabbatorum, panis azymi vlu; aut a prohibitorum in lege ciborum esu; & quod non vnum amplius Deum, sed plures colant; Diis gentium, contra expressum in lege mandatum, maledicant; probare haud vno in loco adgreditur: natam denique, e Iudaica audacia & Gentilium confusione ac negligentia, Christianorum impietatem. Hinc antiqua illa in Mosaicis libris, ut Iacobi Gen. XLIX. 10. (vbi etiam inductam lectionem ἕως ἂν ἔλθῃ ἢ ἀποκείματα αὐτῶν, pro ἕως ἂν ἔλθῃ ἀποκείματα αὐτῶν, tangit & culpat) aut Balaami Num. XXIV. 17. aut Esaia VII. 14. de venturo Iesu oracula eludit; aut a solo Ioanne, non vero a Matthæo, Luca, Marco, aut etiam a Paulo, eundem Iesum DEI nomine dictum; omne eius rei initium, ab eodem scilicet Ioanne, immo qui nec clare & explicate id docuerit, profectum, impie haud minus ac falso contendit, indito ei a Latinis Patribus vero nomine, Imperator Apostata. Neque vero inde minus in Iudæos, (etsi eum iis haud adeo infensum existisse, aliunde & ex ipsis eius operibus constet) in Mosen ac Prophetas inuehitur: illius de mundi opificio, prima hominis creatione, serpentis cum muliere sermone, linguarum confusione, historiam suggillat: legis præcepta nihil habere eximium aut singulare, quæ, duobus exceptis, secundo & quarto, aliis quoque gentibus non fuerint, ut ipse statuit, communia: tradita vero in Mosaicis libris de Dei æmulatione, ira, vindicta, de vnus autem gentis, præ aliis omnibus terræ populis, delectu, redarguit; immo gentis

Lib. III.  
p. 74.

Pref. de  
Script.  
Eccl.

Lib. I. p. 67.  
Lib. II. p. 43.

Lib. IX.

pag. 298. 305.

Lib. X.

p. 351. 354.

357.

Ibid. p. 352.

Lib. VII.

pag. 238.

Lib. VI.

p. 201.

Lib. VII.

v. 238.

Lib. VIII.

p. 253.

Ibid. p. 261.

262.

Lib. X.

p. 327.

Ibid. p. 335.

Augustin.

Enarr. in

Psalm.

XXXVI. &

CXXIV.

Lib. II. p. 49.

65.

Lib. III.

p. 80.

Lib. IV.

p. 146.

Lib. V.

p. 152.

Ibid. p. 155.

160.

P R A E F A T I O.

gentis illius præ aliis, Aegyptiis puta, Chaldæis, Græcis, inscitiam ac imperiti-  
 am notat. Quibus autem, Platonis & aliorum Gentilium de mundi, ut obi-  
 ter supra iam adtigi, κοσμοποιία, rerum principiis, diuersis Deorum νοητῶν  
 & αἰδητῶν ordinibus, de gentium inter se discrimine, de præposito vnicuique  
 Deo, de subiecto eidem Angelo & Dæmone, aliisque id genus, Platonica  
 aut mysticæ subinde Gentilium Philosophiæ seu Theologiæ, cui impense eun-  
 dem deditum supra vidimus, dogmata ambitiose aut futiliter opponit. Idem  
 tamen viros existisse, apud Iudæos, diuino spiritu adflatos; ac præterea ignem  
 sub Mose ac Elia cœlitus ad sacrificia delapsum, agnoscit: quæ inde etiam in-  
 ter præclara Gentilium de Iudaica religione, seu de iis, quæ a Mose aut ab aliis  
 sanctissimis viris diuinitus sunt tradita, testimonia retulit in aureo scripto ὁ πᾶ-  
 νυ Grotius. In quo proinde opere ita se gesit IULIANVS, ut, quo erat inge-  
 nio, sicut vel duo Satyrici eius libelli abunde arguunt, ad scommata & dicteria  
 prompto & propenso, ac præterea in sacrorum vtriusque fœderis librorum  
 lectione exercitato; in detorquendis aut vexandis subinde eorum locis (ne di-  
 cam iaciendis in sanctissimum Christianæ religionis auctorem, vel primos e-  
 iusdem duces & doctores, ipsum etiam Mosen & Prophetas, contumeliis ac  
 probris) ut impie semper, sic non sine acumine subinde & argutiis, sit versa-  
 tus: at non continuo eam vim ingenii, aut eundem colorem, in adserendis  
 vel propugnandis Gentilium dogmatis exserat. Accedit, prout id in illo haud  
 immerito redarguit alicubi Alexandrinus Antistes, quod is non ordine procedat,  
 sed eadem sæpenumero repetat & inculcet; ac vnde, ne in idem inci-  
 dat vitium, decentiori ordine, collatisque generatim sententiis, cum illo ad-  
 versario sibi congregiendum tradit.

Quamquam non omnes, seu tres illos, quorum in Præfatione memi-  
 nit CYRILLVS, IULIANI libros, aut singula, quæ in iis contineban-  
 tur, ab eo referri continuo vel confutari, vel ex iis (ut ea nunc mittam, de  
 quibus alibi agimus) quæ inde adducit Socrates, liqueat. Neque enim ibi,  
 seu in hoc eiusdem Antistitis opere, ea nunc leguntur, de quibus libro ter-  
 tio egisse IULIANVM tradit ille Historicus: nempe, plura ex eo libro  
 a se excerpta, ac in vnum congesta, quæ humano more, necessitatis causa,  
 iuxta eundem IULIANVM, de Deo dicantur; & quorum singula, (quæ  
 sint illius Imperatoris ea de re verba) nisi sermo ipse arcanam quandam intel-  
 ligentiam habeat, multa in Deum impietate sint referta: quibus autem, ut hoc  
 addam, consentanea, de mysticis Theologiæ Gentilium fabulis, & occulto  
 earum sensu, ab eodem, Oratione in Matrem Deum, & altera in Imperi-  
 tos Canes, dicta iam antea vidimus. Quæcunque tandem ratio fuerit, cur  
 ea, aliaque id genus, in iisdem τὸ Παραβάτης libris contenta, omiserit CY-  
 RILLVS: seu, tanquam leuia, nullaque animaduersione digna; aut vero, ut  
 ab aliis iam sæpe, ac nominatim a memoratis Origene, Methodio, Eusebio,  
 Apollinari, in apologeticis contra Celsum & Porphyrium scriptis, discussa ab-  
 unde & confutata censuerit. Neque ideo minus, aut a Theophane, adductis  
 iam ante illius ea de re verbis, aut a Cedreno, de illo CYRILLI opere, tan-  
 quam quo plene sint confutati iidem IULIANI libri, præclara fit mentio; aut  
 vero ab ipso Alexandrino Antistite, eidem operi, tanquam is eo penso,  
 quod ibi susceperat, penitus fuisset defunctus, colophon impositus legitur.

Th. p. 176. 178  
 Lib. II. p. 49.  
 Lib. II. p. 65.  
 66.  
 Lib. IV.  
 p. 116.  
 Lib. V. p. 157.  
 Lib. IV.  
 p. 144.  
 Lib. VI.  
 p. 193.

Lib. X. p. 343.  
 De veritate  
 Relig. Chr.  
 Lib. I. Sect.  
 XVI.

Lib. II. p. 38.  
 39.

Lib. III.  
 cap. XXIII.

Chronogr.  
 p. 44. ed.  
 Reg.  
 Hist. p. 407.  
 ed. Reg.

P R A E F A T I O.

Neque ceteroquin eundem CYRILLVM, a confutando eodem huius Imperatoris scripto, deterrere debuit ille Philosophicarum aliarumue doctrinarum in iisdem IULIANI libris respectus; quo nec se prohibitum iri, vt hoc onus in se forte suscipiat, testatur in Epistola iam antea memorata ad Magnum Romanum Oratorem, sed qui nimium secularium litterarum in eius scriptis vsu redarguebat, Hieronymus; cuius, quæ numerum præterea ac tempus horum IULIANI librorum indicant, verba supra iam adtulimus, & quibus continuo addit: *si contra hunc (IULIANVM nempe) scribere tentauero, puto interdices mibi, ne rabidum canem Philosophorum & Stoicorum doctrinis, id est, Herculis claua, reperi-*  
*am.* Id vero feliciter adgressus est, non Nazianzenus: nec enim id agunt duæ huius in illum Imperatorem Philippicæ; (etsi continuo id innuere videatur, qui ibi eius meminit, Hieronymus) sed Alexandrinus Antistes decem hisce libris: qui ab operis prooemio seu toto libro primo ostendit, frustra Græcos, aut IULIANVM, suis gloriari antiquis doctoribus & magistris: quum iis omnibus, & antequam vlla litterarum scientia, immo ipsæ in Græciam litteræ sint a Cadmo ac Phœnicibus adlatæ, longe sit Moses antiquior, omnisque ab eo tradita de mundi creatione, rerum primordiis, vna & suprema Dei essentia, vno eius cultu, aliisque diuinitus & sapientissime ab eo proditis & constitutis: cum quibus veterum illorum, inter Græcos aut Aegyptios etiam, Philosophorum vel Legislatorum scita conferri nequam possent. Qua occasione etiam multa erudite ab eo, ex antiquis eorundem Gentilium Poëtis, Historicis, Philosophis relata; vti ex Abydeno, Alexandro Polyhystore, sicut iam ante ab Eusebio factum, de primo diluuiio, arca in Armenia montibus, turri Babylonica, inducta linguarum multitudine: alibi vero ex Eupolemo, quod apud Eusebium itidem legitur, de Mose, vt primo sapiente, & qui litteras scilicet Iudæis primum tradiderit, ii vero Phœnicibus, Phœnices autem Græcis. Vt alia nunc mittam, quæ propria eius notatione ibidem nituntur, & quibus iam non licet immorari; neque iis, vel a nato Mose, capto Ilio, aliisque id genus, quas ibidem tangit, Epochis; aut vero illis Olympiadum numeris, ad quas præcipuos viros sapientiæ, doctrinæ, aut ingenii laude inclytos, apud Hebræos maxime & Græcos, refert: in quibus omnibus eum ab Eusebianis in Chronico numeris vix recedere liquet, immo omnia ferme inde esse desumpta. Ita alibi inter varias Gentilium, quas tangit, fabulas, Dinarchi poëtæ, vti ibidem ait, haud ignobilis meminit, qui, vbi Bacchi apud Indos res gestas enarrasset, & quo pacto is Actæonem & Lycurgum interemerit; addit, ipsum a Perseo interfectum, & Delphis sepultum apud Apollinem cognomento aureum. Id quod ante ab Eusebio in Chronico itidem traditum, a magno autem Animaduersore, quasi nullus eo *Dinarchi* nomine Poëta exstitisset, paullo confidentius explosum videas: ac vnde factum licet opinari, vt a doctissimo diligentissimoque Vossio præterita sit omnis illius Poëtæ mentio. Non iam tango plura, quæ ex Orpheo, Hesiodo, Empedocle, Pindaro, Sophocle, Euripide; aut e Platone, Xenophonte, Xenophane, Plutarcho, Amelio Platónico, Plotino, Porphyrio; aut ex Hermete Aegyptio, aliisque antiquis Poëtis vel Philosophis, adducit loca: quorum tamen pars maior apud Clementem ac Eusebi-

Epist.  
LXXXIV.

Quamquam  
Nazianzenus  
num no-  
strum, &  
vt ipse sole-  
bat dicere,  
Galilaum,  
statim in  
prelio fen-  
serit, ibid.

Præp. Euseb.  
Lib. IX.

Lib. VII.  
p. 210.  
Lib.  
IX. c. XXVI.

Lib. X. p. 341

Lib. II. ad  
Animum  
DCCXX.

P R A E F A T I O.

sebiū, vti apud coætaneum eidem Theodoricū, pro consueto in Græcis veterum Christianorum Apologeticis more, leguntur: quibus vel traditas de Diis fabulas, insanasue opiniones, quo Gentilibus os obstruant, congerunt; aut vero vnde saniora subinde dogmata, quæque ad Christiana propius accedunt, adducunt vel stabiliunt: vt de vno ac summo Deo; de Mente æterna, hoc est, Dei filio; de Verbo Dei & Patre Deo; de Triadis notitia apud Gentes, Bono nempe, Mente, & Mundi anima; de Dei essentia in tribus hypostasibus; de Mundi, & quidem a diuino Verbo, creatione; de Dei prouidentia, ac libera administratione; de mundanæ sapientiæ artibus, vt superuacaneis; de reiciendis animantium sacrificiis: quæ singula in hoc CYRILLI opere, adductis ipsis Scriptorum inter Gentiles verbis, relata reperiet Lector. Quæ equidem in re non semper modum illum tenuisse, vti nec a decessoribus quoque eius, Clemente, Eusebio, iisue antiquioribus, Iustino, Athenagora, aliisue, aut ab accurati alioquin iudicii viro, eadem CYRILLI ætate, Theodorito factum, norunt eruditi; neque id iam hic dispiciendum venit. Haud minus id in genere de hisce magni illius Antistitis libris licet statuere, multa erudite, sapienter, ac opportune in iis animaduersa; quibus importunas, seu futiles verius, impii huius IULIANI, aduersus sacros Christianorum libros, eorumve dogmata, cauillationes diluit ac retundit: vt, si non acuminis forte, ingenii, aut eloquentiæ laude aduersario superior continuo sit habendus; at grauitate, rationum & argumentorum pondere, fide, (vt de ipsa rei, de qua inter eos agitur, omnium grauisimæ tractatione nihil dicam) longe vtiq; antecellat, mereaturque omnino illud CYRILLI opus, vt inter primas maximeque vtilis eius lucubrationes collocetur.

Haud leuibus proinde vel alienis rationibus adductus mihi videor, vt præter Petauianam IULIANI editionem, eamque a me e scriptis libris emendatam atque suppletam, accederet hoc eiusdem IULIANI simul & CYRILLI, quo prior ille refellitur, opus; & ad quod illustrandum industriam quoque meam, si quæ esset, studiumque impigre haud minus & alacriter conferrem. Quod dum agito, ac in meis ad ipsa IULIANI opera Observationibus, e quibus alterum & seiunctum ab eodem IULIANO ac CYRILLO volumen constitueretur, edendis sudant præla; en ad me inopinatæ a Lipsiensi librario (qui post VVeidmanni obitum, a quo illa IULIANI editio fuerat suscepta & inchoata, eius absoluendæ partes, cum illius vidua, in se receperat) & repetitæ quidem litteræ, quibus is maiorem in modum flagitabat, vt, quod primum iam aliquamdiu e prælo exierat volumen, IULIANI opera, ac dein memoratos CYRILLI libros, Petauianas insuper ac aliorum ad IULIANVM notas complexum, cui speciminis loco meæ in primam huius Imperatoris Orationem obseruationes subderentur, diuulgandi libertatem ei concederem. Ita enim se moram, quam in edendo primo illo volumine VVeidmanni obitus, ac aliæ dein cunctationes, subinde adtulissent, redimendi locum & facultatem nacturum: quoque interea paratius, in Observationibus meis edendis, e quibus constaret alterum, neque minoris molis futurum, vt ex editis licebat augurari, vltimum, opere typographicæ deinceps pergerent. Neque vero id insolitum obtendebat, haud vno etiam prolato eius rei exemplo; vt, quæ in plura volumina diuidi consueuerunt, opera, non vno velut factu, sed

Lib. VIII.  
p. 266. Lib.  
II. p. 32. 33.  
34. 35. 272.  
Lib. VIII.  
274. Ibid.  
p. 270. 271.  
Lib. II. p. 46.  
57.  
Lib. VIII.  
pag. 272.  
Lib. II. p. 58.  
L. V. p. 167.  
Ib. p. 180. 181.  
Lib. X.  
p. 348.



P R A E F A T I O.

sed diuersis temporibus in lucem proferrentur. Cui tamen petitioni non continuo sum adensus, sed aliquamdiu, & fortiter quidem, repugnaui: utpote quæ haud parum ab omni, ubi me ad opus hoc accinxi, instituto rationibusque meis recederet; neque publicæ, quæ de illo excitata fuerat, hominum expectationi vllatenus respondere, aut cum mea qualicumque existimatione coniuncta, mihi videretur. Ad quam me cogitationem potissimum deducebat, quod vel in Græcis IULIANI verbis, vel in Latina Petauii aut aliorum interpretatione, haud pauci essent nãui de industria a me relictis, & quidem ob rationes paullo ante a me indicatas; ne quidquam scilicet e Græcis Augusti illius Scriptoris verbis loco mouerem aut immutarem, quod non scriptorum librorum fide ac auctoritate niteretur; a versionibus autem aliorum interpolandis, quod a viris cordatis semper improbatum noueram, prorsus abstinerem: eorum autem omnium ratio, ne id prorsus ex inscitia aut saltem ex incuria factum videretur, in Obseruationibus accurate, certe pro illa eruditionis vel ingenii, quæ in me est, tenuitate, & a me redderetur. Quum tamen instaret haud minus Lipsiensis Bibliopola; & accessissent eius rogatu in eandem sententiam litteræ viri, qui in eadem vrbe huius operis ἐργοδιωκτης non solum & promotor fuerat, sed insigniter præterea de eodem in toto illius editionis cursu promeritus, quo aliquem ei nitorem conciliaret, eandemque a typographorum mendis, quantum fieri posset, repurgaret: parui tandem, etsi, ut libere adhuc dicam, non meo ad id iudicio adductus. Neque enim æquum erat, ut non hoc tribuerem, si non Bibliopolæ precibus aut commodis, at saltem eidem viro, quo ciue ac senatore, præter hæreditarium nominis ac gentis decus, (de Friderico Benedicto Carpzouio me denuo hic loqui facile quiuis intelligit) non gloriatur magis Lipsia, quam litteræ ibi ac doctrinæ præclaris incrementis quotidie efflorescunt, cuiusque singularis esset in me haud minus, quam in hoc opus, testata voluntas.

Hæc itaque est ratio illius consilii, quo factum est, ut primum hoc volumen, non me quidem eius rei auctore, sed qui honeste illud declinare non potuerim, in lucem publicam proferatur, dum alterum cum meis Obseruationibus sub prælo adhuc feruet; aut vero cur, ita rursus deprecante librario, & nouo forte exemplo, mea in primam IULIANI Orationem seiuncta a reliquis adnotata hic itidem prodeant. Quod equidem non ambitiose a me factum, aut quasi inde potissimum meam vellem Lectori operam aut industriam venditare, facile, ut opinor, quiuis reputabit, qui Orationem esse Panegyricam cogitet, quæque tota in enarrandis Constantii laudibus decurrat: vnde non singulari adeo aut eruditæ notationi locus esset, quem aliæ quædam eiusdem IULIANI, in argumentis quippe minus obuiis elaboratæ, Orationes, aut vero Cæsares eius, Misopogon, & variæ quoque Epistolæ, suppeditarent. Illud equidem in commemorandis Constantii, quas eadem Laudatio tangit vel percurrit, rebus geltis, contigit; ut chronologicarum subinde aut historicarum disquisitionum, quæ Scriptorum illius ætatis, aut antiquioris etiam, ad quam hæc Oratio subinde respicit, vel penuria vel incuria, aliquantum obscuræ forent aut implicatæ, habenda fuerit a me ratio; quo Augusti huius Oratoris de singulis mens plana ac dilucida redderetur. Quod in aliis quoque eius operibus, non adeo ob summam illam Auctoris amplitudinem, quam

ob

P R A E F A T I O.

ob doctrinam in iis & facundiam plane singularem, mihi accurandum intellexi: ut nempe paullo penitius ac diligentius, non dicam, quam factum a Petauio fuerat, (de Notis enim eius, quamquam subinde eruditus, iam vidimus) in IULIANI verba & mentem anquirerem; eaque, quæ vel indicio ritus alicuius, aut facti dictive minus obuii, retrusa aliquantum, vel cæteroquin elegantia & varietate doctrinæ notabilia videbantur, ac luce aliqua indigere, pro virili parte traderem & explanarem. Quod dum exsequor, longius forte me abduxit subinde argumenti, de quo ibi agebatur, proposita elucidatio: quo de illo plenius quid ac certius constaret; vndeque aliis etiam, quæ apud veteres omnis memoriæ Scriptores ad ea respiciunt, & quorum non explicata semper foret ratio, lumen aliquod a me adferretur. Idque eo maiori forte fiducia a me factum, quod illud magnis hac ætate ac eruditissimis viris haud semel in laudem cesserat; qui longius etiam, & extra omnes, in quod ramen me vix putem incurrisse, eius rei, de qua apud Auctorem agebatur, cuius suscepta erat ab iis enarratio, fines euagabantur. In quo opere dum versor, ac vberior inde, quam constitueram, & improuisa ferme adnotationum seges adcrevit; eam pro perpetua, quæ mihi a prima ætate insedit, voluntate, quamque hætenus in aliis meis scriptis religiose obseruavi, viam tenui: ut citra vllum contumeliosum vel procax verbum dictumue in quemquam eruditum, a cuius forte sententia disiderem, cuiusue manifestum errorem tangerem, ad quod me ipsa ferebat tractatio, immo cum debita potius, quam aliunde iidem promeruerant, laude, id a me semper ac adtente fieret.

*Notas marginales adiecit J. F. A. Mücke.*

MONITVM AD LECTOREM.

*Hoc loco commissa, in Epistola dedicatoria ac in Prefatione, a festinentibus, obvertentes iam Lipsienses nundinas, typographicis operis σφαλματα, adnotare libuit.*

In Epistola Dedicatoria

Fol. 3. fac. a. lin. antepen. quoquo pacto  
Fol. 5. fac. b. lin. 23. studiose fieri

Fol. 6. fac. a. lin. 5. animæque perniciem

In Prefatione

Fol. 4. fac. b. lin. 1. voces αὐτῶν & εἰς nullo sensu irrepserunt, nempe que leguntur ibi in proximis IULIANI verbis, sed una voce αὐτῶν. Vnde e priori loco omnino illa due vocula elimi-

Fol. 5. fac. b. lin. 6lt. præter scriptas ab ipso

Fol. 7. fac. b. lin. 7. τὸν Χαλκιδεῖα

Fol. 8. fac. a. lin. 42. virtute, a Iamblichio traditur; aut ab eodem IULIANO alibi, in Sole &c.

fac. b. lin. 7. Porphyrio

Fol. 9. fac. a. lin. 29. a Sallustio

fac. b. lin. 10. in marg. ὀπτεύεται μῦθον, ἢ μὴδὲν εἶναι εὐ-  
πραπίε

lin. 28. & de illa

lin. 34. a Chaldæis

Fol. 11. fac. a. lin. 15. Christianos rursus

lin. 17. qui foris sit

lin. 25. ad virtutem referat

lin. antepen. administratio

Fol. 12. fac. a. lin. 37. ab eo ad præceptores

fac. b. lin. 8. obitu, relictam, e potentium

lin. 38. supplicesque

Fol. 13. fac. a. lin. 12. accessionis sint loco

lin. 33. tum Comicorum

lin. pen. in marg. p. 131

Fol. 14. fac. a. lin. 18. in marg. πλείους

lin. 43. Constantinum

fac. b. lin. 5. quarum

lin. 10. in vsum cederet

lin. 20. in marg. παρῆσα

Fol. 15. fac. b. lin. 4. εὐχίας

lin. 43. priuentur; non capio

Fol. 18. fac. b. lin. 33. laudem promeritos

lin. 34. laudum cumulus

lin. 40. gerebat

Fol. 19. fac. a. lin. 20. IULIANVS

Fol. 20. fac. a. lin. 3. ΣΩΖΟΜΕΝΑ

lin. 4. Martinio

lin. 23. constet, loco

fac. b. lin. 24. Deum

Fol. 21. fac. a. lin. 30. & erudite & commode

Fol. 22. fac. b. lin. 29. interpretatione

Fol. 24. fac. a. lin. 1. quia scilicet

fac. b. lin. 35. mentio; idemque fatum

lin. 36. contigerit

Fol. 25. fac. a. lin. 17. abunde ac plene

Fol. 27. fac. b. lin. 12. in marg. Nazarenum

Fol. 28. fac. a. lin. 13. aliisque

fac. b. lin. 15. tenuitate, a me